



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Maximiliani Sandaei E Societate Iesv Doctoris
Theologi Architectura Christiana**

Sandaeus, Maximilianus

Coloniae Agrippinae, 1653

Pars III. Architecturae Christianae.


[urn:nbn:de:hbz:466:1-46065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46065)



ARCHITECTURÆ CHRISTIANÆ P A R S III.

PROLOQVIVM

FVNDAMENTO Domus firmissimè & solidissimè collocato, constituuntur, ex Architectura præscripto, Columnarum intervalla, quibus definitis, eriguntur Columnæ, fit Columnatio, subsequuntur cetera. Itaque ordine progredimur, cùm post Fundamenti, & Præfundamentorum tractationem, de Columnis agere incipimus: maximè cùm in eo enunciato, quod tanquam lemma commentationibus, Sermonibusquæ istis Architectonicis præfigimus, præcipua Columnarum fiat mentio; quasi ex illis vel solis, vel potissimum Domus ipsa constituta fuerit. SAPIENTIA ædificavit sibi Domum, excidit Columnas septem. Proverbiorum IX. 1. Regius Codex legit, sustulit Columnas septem: Chaldaus, statuit in ea Columnas septem: quasi dicat: mox, ut ædificare cepit, posito fundamento, Columnas erexit, quibus tota domus niteretur. Concipiatur igitur Domus Sapientia, sicut revera est pycnostyles, crebris è Columnis composita.



OPVS-



OPUSCULUM V.

COLVMNÆ

Domus Sapientiæ

Seu

Ædificii Spiritualis.



S E R M O I.

PRIMÆ COLVMNATIO

Domus Sapientiæ

A R T I C U L U S I.

*Finitus-ne, an infinitus, indefinitus-ve sit in Domo Sapientiæ
Columnarum numerus.*



VNERVM exprimit accuratè Architec-
tis Sapientiæ amanuensis: *Excidit Colum-
nas septem. Sed id bifariam exponi potest.
Primo, ut intelligantur præcisè sex & una,
Pars III: impar*

impar numerus: Deinde, ut Septenarius numerus finitus, certusq; sumatur pro indefinito, ac incerto, & designet multas: quomodo ferè locum illum Proverbiorum accipiunt Interpretes, & Architecturæ Salomonicæ præclarus illustrator Villalpandus. (a) Neque est id in Sacra-Scriptura inusitatum, in qua Septem frequenter universitatem significant. Tum quia septem diebus Mundus est conditus: tū quia partes Septenarii sunt totus impar, scilicet ternarius, & totus par, nempe, quaternarius. Vnde, quod nos legimus in Cantico Annæ matris Samuelis primo Regum secundo cap. *Donec sterilis peperit plurimos*, alii ex Hebræo legunt, *septem*: ita LXX. Interpretes, Divi Chrysostomus (b) & Cyprianus: (c) Iterum libro III. Reg. XIX. *Derelinquam mihi in Israël septem millia virorum*: quod idem est, ac quàm plurimos. Eodem sensu profani, Ter & Quater usurpāt: *O terque quaterque beati! Septies in die cadit justus*, id est, sæpius, Proverb. XXIV. *Septuagies septies* condonandum proximo delinquenti, dicitur apud Matthæum & Lucam. (d) *Si septies in die*, (e) id est, frequenter, *peccavit in te, & septies in die conversus fuerit dicens, pœnitet me, dimitte illi*. Hoc modo si accipiantur Columnæ septem, indicant universitatem quandam virtutum. Verum illas nos solum Columnas nominabimus, & ut tales, describemus, quæ peculiarem habent cum Columnis materialibus convenientiam; ac proinde Columnarum symbolo solent denotari; in sacro volumine.

(a) Villalp. Tom. 2. lib. 3. cap. 29. (b) in Genes. hom. 19; (c) ad-
ver. Hebr. lib. 18. (d) Matt. 18. (e) Lucæ 17.

Tertia Pars:

Dd

AR=

ARTICULUS II.

COLUMNA VIRTUS

*Quæ spectanda sint in Columna qualibet; & quæ-nam in virtuti,
ut symbolicè Columna dicatur.*

IN Columnis singulis hæc attendi debent. *Primum*, materia, quæ initio fuit lignum, deinde lapis, marmor, æs, argentum: in divino Codice sunt præterea, ignis, nubes, fumus. *Secundum*, partes integrantes, quas ad tres reduco, confusionis vitandæ gratia. *Prima* est *Basis* columnæ, sub quo nomine comprehenditur σερεοβάτης
συλιβάτης, τπέρα. *Secunda* est *Scapus*, pars illa, quæ perpendiculariter basi infistit. Italis dicitur corpus columnæ, *Tertia* tandem *Epistylum*, capitulum, vel catellum, quod scapo imponitur: cui adjungi solent volutæ, torques, Zophori, encarpæ, similiaque emblemata. *Tertium* vero consideranda est forma, quæ diversa est, uti & Columnarum genera. Quæ Vitruvius tria facit, *Doricum*, *Corinthicum*, *Ionicum*: alii *Tusculanicum*, & *Italicum* addunt, ut sint genera quinque. *Quartum* denique, quod spectari debet in Columnâ, est *Figura*, & certa conformatio. Si quidem, aliæ sunt rotundæ, aliæ planæ: aliæ striatæ, ut sunt in hac basilicâ, quæ cavitates illas modicas seu liras habent: aliæ ex uno aliquo saxo, quales nullæ hujus templi, si columellas illas, sive clatros, ante choros pensiles excipias: denique, aliæ sunt structiles, è pluribus saxis constructæ, opere cæmentitio, lateritio, aut lapideo.

Ut hæc autem Virtutibus applicentur, Præmittendum quod observant Philosophi in præambulis ad Logicam
dum

dum quærent, an Logica sit simul practica & speculati-
 va? ac Theologi prima Par. q. 1. art. 6. dum disputant,
 utrum Theologiæ utrumque conveniat? Docui autem
 ego utroque loco, eandem scientiam esse simul practi-
 cam & speculativam: nam etiam si eæ videantur oppo-
 sitæ specie differentiæ in aliis quibusdam, tamen in di-
 ctis scientiis, præsertim in Theologica conjunguntur
 absq; ullo incommodo. Siquidem quæ disparata sunt in
 inferioribus ac dispersa, uniuntur in superioribus. Ita,
 cum sensus quilibet corporis exterior non possit nisi
 unum aliquod objectum percipere, sensus communis
 interior, eoq; superior de omnibus sensuum externo-
 rum objectis judicat. Sic cum homo unum aliquod ob-
 jectum, specie unica, Angelus plurima intelligit per uni-
 cam. Simile quid in re nostra contingit. Licet enim in
 Architectura vulgari, quod est fundamentum, aut pa-
 ries, non sit Columna: & quod est paries, non sit te-
 ctum, quod est fenestra, non habeat rationem portæ, &
 multo minus sit aula, vel conclave; tamen in Archite-
 ctura sacra, in qua virtutes sunt ædificii spiritualis par-
 tes, ob eminentiam quandam illius disciplinæ, & varias
 perfectiones in una Virtute contentas, seu delitescen-
 tes, Virtus una eademq; potest dici fundamentum,
 columna, aula, paries, ut in harum commentatio-
 num progressu palam fiet.

(***)

☉(o)☉

Dd

ART. 2.

ARTICULUS III.

COLVMNARVM TERNIO.

*In primâ serie Columnarum Domus Sapientia sunt
Columnae tres. Quarum symbola,*

NVBES. FVMVS. IGNIS.

FIDES. SPES. CARITAS.

Tres Virtutes Theologicae.

PRINCIPIO tres sese offerunt *Columnae Domus Sapientiae*, sine quibus Domus hæc non consistit, *Fides, Spes, Caritas*. Nolim, ut meam hanc credatis esse fictionem, cum sit assertio magnorum in arte nostra Magistrorum inter quos S. Thomas Aquinas, qui proæmio commentariorum in Epistolam ad Ephesios explicans illud Psalmi LXXIV. *Ego confirmavi Columnas ejus*, nominat tres *Columnas* in Sacra-Scriptura celebratissimas, *Columnam Nubis, Columnam Ignis, & Columnam Fumi*. De *Columna Nubis & Ignis* frequens est mentio in Exodo. (a) Cùm enim populus Hebræus egressus ex Ægypto in terram promissionis pergeret, circumiens in solitudine annis quadraginta, Deus ei viam, qua ingrederetur, præmonstrabat, die quidem per *Columnam Nubis*, quæ præibat castra, noctu verò per *Columnam Ignis*. Scio Rupertum Abbatem, cùm disputaret super allegorica intelligentia *Columnae Nubis & Ignis*, docuisse, utramque fuisse illustrem figuram Christi. Is enim verè dici potest

(a) Exodi 13. 21. Exod. 14. Exod. 40. Num. 9. Num. 14. Deut. 1. Psal. 77. Psal. 98. Sap. 10. Sap. 18.

Columna propter rectitudinem & stabilitatem: nec non, quia ipse sustentat Ecclesiam, veluti Domum, & fulcit infirmitates nostras. In eum competit aptissimè, quod scriptum est de *Columna Nubea* Numeror XII. *Descendit Dominus in Columna, & Psalmo xcviii. In Columna Nubis loquebatur ad eos.* Christus D. rectè comparatur *Nubi*, quæ homo; *Igni* quæ Deus. Ipse viam monstrat egredientibus ex *Ægypto*, & in terram promissionis euntibus: id est, discedentibus à servitute Diaboli, Peccati, ac Mūdi, & in servitutum DEI, ac rerum cœlestium comparationem pergētibus. Vera quidem hæc sunt, sed allegoriam spectant, quam excutiemus, cum Architecturæ sacræ partem allegoricam, quæ est de Christo & Ecclesia, pertractabimus: nunc Tropologiam sectamur, & Virtutum ædificium erigimus, cujus partes non nisi homogeneæ, id est, Virtutes esse possunt.

ARTICVLVS IV.

FIDES

Columna Nubis.

EXISTIMAT S. Thomas *Columnam Nubis* significare primam Virtutum Theologicarum, *Fidem*, analogia desumpta, à materia, ejusque conditionibus, & *Columnæ* illius officii, quæ perbellè Fidei accommodari possunt. I. IMPRIMIS, erat *Columna Nubis* obscura. Exodi XIV. vocatur tenebrosa. Et cap. XL. dicitur operuisse Tabernaculum testimonii instar umbraculi defendentis ab æstu. Psalmo CIV. canit David, *Expandit Nubem in protectionem eorum.* Et ad idem referūt nonnulli illud Psalms

CXX. *Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israël. Dominus protectio tua: per diem sol non uret: quia scilicet Columna tenebrosa Nubis operiet. Hoc ipsum habet Columna Fidei, quæ est invidens & obscura. Siquidem Fides est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium, ad Hebræ. XI. Quæ enim apparent, ut inquit S. Gregorius, (a) jam fidem non habent, sed agnitionem. Unde est illud Augustini sæpius repetitum, (b) *Quid est Fides, nisi credere, quod non vides?* Ob quam causam Apostolus Paulus dicit, nos, qui fidem habemus, *videre per speculum & in ænigmate*, 1. ad Corint. XIII. ubi observat S. Anselmus, Speculi nomine significari imaginem, & vocabulo ænigmati, obscuram similitudinem, atque ad discernendum difficilem. Quæ verba desumpta sunt ex S. Augustino, qui de illa Pauli sententia fusè disputat lib. xv. de Trinitate capite 9.*

II. PRÆTEREA, *Columna Nubis* monstrabat viam, vel potius Dominus in illa ad Terram promissionis: nam sic dicitur Exodi XVIII. *Dominus precedebat eos ad ostendendam viam per diem in Columna Nubis.* Hoc quoque officium est Fidei, quæ ostendit viam rectissimam, eamque compendiosissimam perveniendi ad patriam. Sine manu ductione Fidei nemo non in solitudine hujus peregrinationis aberrat: hæc duce, & manu ductrice pervenerunt ad patriam electi. Agnovit hoc munus fidei Eusebius Emiffenus scribens in symbolum homilia ubi multas ejus qualitates, seu dotes conjungit, *Fides, inquiens, religionis Catholica, lumen est anima.* (Sed lumen obscurum, & veluti nubis in lucerna inclusum, ut insinuat Petrus Apostolus Epist. 2. cap. 1. fidem comparans *Lucerna lucens in caliginoso loco*) pergit Eusebius, *Hanc nobis velut magnam lampadem, Christus adveniens, errantibus viam monstraturus*

(a) Hom. 26. in Euang. S. Thom. 22. q. 1. art. 4. & 5. (b) Tract. 4. in Joann. Hom. 32. & 50.

exhibuit, per quam possit DEUS ignotus requiri, quæsitus, creditus, inveniri.

III. ADHÆC, *Columna Nubis* nunquam defuit populo DEI, quoad attigit fines Terræ sibi promissæ, ex quo profectionem instituit ex Ægypto. Ita dicitur Exodi XIIII. *Nunquam defuit Columna nubis per diem.* Hinc refellitur Hebræorum opinatio, existimantium *Columnam* illam defecisse post mortem Aaron, antequam populus ad promissionis terram perveniret: sed nullâ nituntur vel probabili conjectura. Nunquam defecit, neque unquam deficiet, aut deerit, quàm diu peregrinatur à Domino gens electa, Ecclesiæ Catholicæ filii, *Columna Fidei*, quæ viam demonstret. Hoc est, quod consensu docent Orthodoxi: in Ecclesia Christi non posse fidem deficere. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi,* ait Christus D. Matthæi XXVIII. Est nobiscum, aliis modis, tum per *Columnam Fidei*. Quid mirum, cùm Ecclesia ipsa sit *Columna & firmamentum veritatis?*

IV. At verò, *Columna Nubis* dissoluta est, & evanuit, populo in patrias promissasque sedes per ducto. Desinet *Columna Fides*, quam primum ad cœlestem pervenerimus. Nec enim in Beatis manet fides; ut indicat Aposto, I. ad Corinth. XIIII. ubi ita disputat: (a) Cùm venerit, quod perfectum est, nempe, status gloriæ, evacua-bitur, quod ex parte est, id est, omnis notitia imperfecta, obscura, & caliginosa, qualis est Fidei, abolebitur, ejus-que loco dabitur clara atque distincta. Idem videtur clarè definitum à Benedicto XI. in Extravagan. quæ incipit: *Benedictus DEUS*, in quâ definit, quod visio DEI,

Dd 4 ejus-

(a) S. Thom. 2. 2. q. 5. art. 2. Valentia, Tom. 2. disp. 5. q. 7. p. 4. Lessius lib. 2. de sum. Bono lib. 2. cap. 19. num. 159.

ejusque fruitio, actum Fidei & Spei in Beatis evacuetur, prout Fides ac Spes propriè sunt Theologicae virtutes.

V. CUM autem populo se videndum dabat *Columna Nubis*, in illa loquebatur DEUS ducibus tribuum. Psalmo xcviij. *In Columna Nubis loquebatur eis.* Ob quam causam fortasse Sapiencia Thronum suum aiebat esse in *Columna Nubis*, Ecclesiastici xxiv. nimirum, tribunal, aut suggestum, ut sensus sit: loquutum DEUM ex *Columna* erecta & sublimi, velut ex tribunali regio, cathedra, graduque eminente: jus dicens, bonos absolvens, malos condemnans. Est etiam *Columna Fidei*, sedes Sapienciae, tribunal summi Judicis, Oraculum DEI: è quo & Ecclesiasticae supremo Capiti infallibiliter voluntatem suam aperit, & nobis, cum revelationibus factis loquitur. Felices nos, si dum vocem ejus audimus, non obduremus corda nostra.

VI. JAM verò *Columna* eadem in peregrinatione molesta muniebat Hebræos, umbraculi instar, & à solis aestu tuebatur. Quod satis apertè colligitur ex Divinis paginis, è quibus hæc accipite & perpendite. Numerorum iv. *Nubes gloriae tuae protegit eos, & in Columna Nubis precedis eos.* Psalmo civ. *Expandit Nubem in protectionem eorum, & ignem, ut luceret eis per noctem.* Psalmo cxx. *Dominus custodit te: Dominus protectio tua: per diem Sol non uret te neque luna per noctem.* Sapienciae x. *Deduxit eos in mirabili: fuit illis in velamento diei & in luce stellarum nocte.* Sapienciae xvij. *Solem sine lasura boni hospitii praestitisti eis: hoc est, fecisti, ne Sol eos deformaret, læderetve: atq; ut ob-*

(a) Pineda Job 38. Thyraus lib. 2. de appar. visib. cap. 2. q. 4. (b) Ita Lerm. Ps. 98. (c) Pineda lib. 3. de Salom. cap. 28. (d) Affirmant Lyrus Exod. 13. Hugo ibid. Genebr. Ps. 104. (e) Negant Caiet. Ex. 13. Abul. q. 13. (f) An una erat *Columna*, altera umbraculum? Ita Petrus Exod. 13. disp. 5.

umbrato per nubem Sole, loca solitudinis, quasi pro bono hospitio illis essent: nimirum, inoffensè per ea loca iter faciebant. Sapientiæ XIX. *Castra obumbrabat nubes.* Quid est autem, quo tanquam umbraculo, à Concupiscentiæ violenter adurentis, magis quàm furentis Sirii æstu, tentationis tempore protegimur? quidnam arcet igneos inimici infernalis omnia circumquaque amburentis radios? quid luxuriæ, lasciviæque tela flammea à capitibus nostris avertit? *Columna Fidei*: verè umbraculum tempore meridiano. Hoc Paulus Apostolus indicat ad Ephesios VI. ubi Columnam hanc vocat Scutum, quod videlicet, urente cunicula, capiti imponere solent milites, veluti umbraculum Soli arcendo: & sanè innuit Apostolus, sic sine noxa scintillantes sagittas excipi posse, cum mox extinguantur. *In omnibus, inquit, sumentes Scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissima ignea extinguere.* ad Ephesios VI. Hoc umbraculo protecti veteres illi Heroës à fide commendatissimi, *obduraverunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis,* ut ad Hebræos XI. scribit Apostolus. Præclare Hieronymus: *Ne principium quidem habere poterit inimicus anima vulneranda, si tenuerimus Scutum fidei, in quo non solum venientia tela franguntur, sed etiam telorum ipse ignis extinguuntur.* Putatur autem Doctor Gentium per tela ignea, designasse, præter alia, impuras illas cupiditates, quas Dæmon artificio suo tartareo in animos hominū, velut ferventes quosdam, ignitosque radios spargere ac vibrare solet, sicque mentem ad fæda inflàmare ardentius. De quibus, sensu S. Hieronymi, loquitur Oseas Propheta cap: VII. *Omnes adulterantes, quasi Clibanus succensus à coquente.* Denique, insinuat Apostolus, nullam esse tentationem nequissimi, Græcè, *πειρασὸν*, id est, Mali, antonomasticè, & scelesti, quæ est periphrasis Cacodæmonis, cujus vis omnis, *Fidei umbraculo*

D d s sed

sed veræ ac vivæ , non possit averti , aut infringi.

VII. ILLUD quoque in *Columna Nubis* considerandum, quod fuerit altitudinis tantæ, ut in ejus cono perspicendo oculi caligarent, licet minimè debiles. Altissima etiam est *Columna Fidei*: elevata supra terram, transcendens omnes regionis aëris, nubes penetrans, cœlorum sublimitatem pervadens. *Fides*, inquit Bernardus, ser. 76. III. in Cant. *attingit inaccessa, deprehendit ignota, comprehendit immensa, apprehendit novissima: ipsam denique æternitatem suo illo vastissimo sinu circumcludit. Fidenter dixerim, et certam, beatamque Trinitatem, quamvis non intelligo, credo et fide teneo, quæ sana capio mente.* Cur autem tam altà fuerit *Columna Nubis* facilè est conijcere, quoniam videri debebat è longinquo à maxima hominum multitudine. Et sanè cernebant ei Hebræi ex omnibus suis tentoriis, et mansionibus. Castra autem eorum cùm continerent propè tricies centena millia hominum, amplissimum haud dubiè locum occupabant: non minorem certè quàm decem vel duodecim milliarium. Hoc autem multo magis competit *Columna Fidei*, quæ idcirco tantè est sublimitatis, quia à mari usque ad mare, & à terminis orbis terrarum aspicientibus in oculos incurrere debet, & viam demonstrare.

VIII. PORRO, *Columna* illa, quamvis diceretur *Nube* seu *Nubea*, quoniam similis erat Nubi, quantum ad colorem; candida ac lucida; & quantum ad qualitatem materiæ: talis enim videbatur esse materiæ, qualem habet Nubes; tamen plurimùm differebat à Nube naturali. Haud secus, licet *Columna Fidei* dicatur *Fides*, quia est assensus intellectus obscurus, pendens ab auctoritate dicentis, seu credulitas quædã, tum quia esse videtur qualitatis, cujus est fides naturalis, plurimùm tamen *Columna Fidei*, quæ est Divinæ, differt ab humana.

vel naturali; ita tamen, ut inter discrimina Columnæ Nubis, ac Nubē, & differentias Columnæ Fidei, ac Fidē naturalem magna sit affinitas. Imprimis enim, erat Columna Nubis purior & lucidior, quàm soleat esse Nubes. Et Columna Fidei divinæ sine admistione ullius falsitatis purissima, & certitudine multo, quam humana fides, lucidior. Deinde, densior erit Columna Nubes, & solidior nube. Fides humana est tenuissimæ substantiæ, subsistentiæ nullius, & evanida, si cum solidissima fide divina comparetur. Ad hæc, Nubes non eandem perpetuò figuram servant, sed subinde, pro varietate ventorum, quibus aguntur, vel accessione vaporum è terra variè figurantur. At Columna eandem semper figuram retinebat. Simili modo, variatur fides humana, secundum diversitatem dicentium, prout est major vel minor in uno, quàm alio auctoritas: nec enim omnibus eadem firmitate fidem adhibemus. Sed Columna Fidei semper ejusdem est figuræ, quia nititur auctoritate divina, cui nulla potest fieri accessio, nulla etiam decretio, cum non sit mutationis capax. Denique, Nubes sunt res naturales, ex causis naturalibus, naturali modo effectæ. Columna Nubis erat à Deo præter naturalem rerum ordinem, & cursum facta: nec modo naturali conservabatur, aut movebatur. Est quid simile in Columna Fidei divinæ, quæ non potest, nisi vi transnaturali in anima effici: non movemur ad fidem, neque illa in nobis, nisi supernaturaliter constituitur.

ARTICULUS V.

SPES

Columna Fumi.

ALTERA Columna in Sacris nostris celebrata est Columna Fumi: de qua Judicum xx. Cùm enim filii Israël

Israël pugnarent contra Beniamitas, viderunt quasi Columnam Fumi, inquit Scriptura de civitate conscendere. Hanc cum Doctore Angelico dicimus esse symbolum Spei, Est itaque secunda Columna in primo Columnarum ordine Domus Sapientiae SPES. Quæ Columnam refert. I. PRIMO. quidem Rectitudine ac stabilitate: recta enim in DEUM tendit, & in Altissimum erigitur. Est etiam stabilis, & stabilitatem iis, quibus supponitur, tribuit, & sustentat. Spes in aternitatem animum erigit, ait S. Gregorius lib. VI. Moral. cap. 16. & idcirco nulla mala exterioris, qua tolerat sentit. Atque iterum lib. 2. in Ezechiel. hom. 17. II. Spes celestium mentem solidat ne concutatur fluctibus tumultuum terrenorum. III. Præterea, Spes in altum conscendit, ut Columna Fumi: nã futura bona spectat. Notat id S. Chrysostomus, qui Sermone de Fide, Spe, & Caritate Spem definit per ascensum: Spes, inquit, est futura pollicitationis assensus religiosus, promissa gloriæ devota intentio, sanctorum destinata sublimitas, bonorum expectatio futurorum. IV. Ad hæc, Spes, ut Fumus ex igne terreno, ita ex Caritate, quæ est celestis ignis, provenit. Ex Caritate Spes, inquit S. Ambrosius in c. 17. Lucæ & rursus in se sancto quodam circulo revolvuntur. V. Tandem definit in fine Spes, sicuti Fumus. Postquam enim mense volavit ex corpore, & quæ sperata fuerunt, possidet, Spes definit: est enim Spes solium futurorum. Quocirca Apostolus Rom. VIIII. Spes, inquit, quæ videtur, non est Spes: nam quod videt quidquid sperat? Spes est boni acquirendi expectatio, ait Clemens Alexandrinus lib. 2. Strom. & consentiunt Philosophi ac Theologi.

ARTICVLVS VI.

BASIS COLUMNÆ SPEI

Promissio Dei.

BASIS Columnæ quæ SPES dicitur est *Promissio divinâ*, quæ planè infallibilis; cui substernitur pro fulcimen-
to, tanquam *Stylobata, Iusurādum*, quod immobile; ut nō sit periculū, ne unquā ea corruat. Desumitur id ex Paulo Apostolo, qui ad Hebræos VI, agens de firmitate Spei, tanquam Columnæ altissimæ, hunc in modum scribit: *Volens DEUS ostendere pollicitationis hereditatis immobilitatem consilii sui, interposuit Iusurandū, ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri DEUM, fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam Spem.* Ubi asserit, idcirco jurasse DEUM, ut Spei Columna firma esset, & minimè dubio, aut stabili in fundamento, vel basi insisteret. Quamvis autem duas res nominet Paulus, intelligenda tamen est nostri respectu tantum illa dualitas: nam in DEO Promissio & Iusurandum nulla ratione, quod attinet ad rem, sed tantummodo ratione concipiendi & loquendi nostrâ distinguuntur.

ARTICVLVS VII.

CARITAS

Columna Ignis.

TERTIA Columna est *Ignæa*, in qua DEUS præcedebat Hebræos ad regionem promissionis properantes.

Hæc,

Hæc, sensu Aquinatis, est typus tertiæ virtutis Theologicæ, cui vulgatissimum, amabilissimumque nomen, CARITAS, quam virtutum omnium Columnã vocat B. Ephrem. Doctrina de humilitate. Et quoniam duplex est Caritas, DEI & Proximi, ideoque duo Dilectionis præcepta, in lege veteri à DEO tradita, & in Nova Christo repetita, duas quoque Columnas Caritatis constituit D. Gregorius Nyssenus. Qui explicans illa Cantico-rũ v. c. *Crura illius Columnæ marmoreæ, quæ fundata sunt super bases aureas*, ostendit quemlibet fidelium posse corporis mystici, quod est Ecclesia Crura fieri. Fundamentum quidem Ecclesiæ, *nemo potest*, ut ait Apostolus I. Corinth. 3. *aliud ponere, præter id, quod positum est, quod est Christus.* Christus autem, ut differit Nyssenus, *Veritas est, in quâ Crura fundantur.* Multæ quidẽ sunt Columnæ, sicut *gulae videlicet virtutes Lege ac Prophetis comprehensæ; sed tamen duæ Columnæ huic ædificio sustentando sufficiunt: Illæ nempe, à quibus ipse sponsus dixit, Legem & Prophetas pendere, quæ sunt Caritas DEI & Caritas proximi.* Perinde enim est dicere, aliquid ab alio sustineri, atque aliquid ab alio dependere: Sponsa autem indicat ab iisdem illa sustentari. Confirmari potest ex Paulo Apostolo, qui Timotheum illum suum dilectum, velut Domum Sapientiæ, erigere & firmare cupiens, duas in illo Columnas constituit, dum monet Epist. I. c. I. ut habeat Fidẽ & Conscientiam bonam; postquam Fidẽ intelligens primum illud præceptum magnam Dilectionem DEI, per Conscientiam, alterum illi simile, Dilectionem proximi.

HÆC Columna bipartita meritò dicitur *Columna Ignis*: est enim Ignis Caritatis symbolum. Quo usus Christus, interpretatione Euthymii, Lucæ XII, dicebat: *Ignis veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut accendatur?* Et latius

habet

habet Caritas, ut Ignis, subtilitatem, quâ fulguris etiam instar, res durissimas penetrat, & in mollitiem vertit: habet lucem, qua mentem illustrat: habet calorem, quo inflammat, ut scitè incendium amoris dixerit Gregorius Papa: habet levitatem, qua ad superna tendit, & omnia pervadit. Ignis consumit paleas: Caritas concupiscentias. Addit S. Thomas. *Præf. comm. ad Ephes.* sicut ignis illuminat diaphanâ, examinat metalla, exterminat cremabilia: ita Caritas illuminat opera, examinat intentionem, omnia vitia exterminat.

SUNT etiam nonnulla Caritati, cum Columna illa Ignis, quæ Israëlitis noctu præbebat lumen communia. I. Imprimis data erat peregrinantibus, ad dispellendas noctis tenebras. Quis autem nescit, tenebras palpabiles esse peccata, quæ miseriarum noctem efficiunt? Has dispellit Columna ignis, Caritas, quæ, ut lux in tenebris lucet. *Illuminare his, qui in tenebris, & in umbra mortis sedent,* dicitur Lucæ i. de peccatoribus. *Abijciamus opera tenebrarum,* monet Apostolus, ad Romanos XIII. *Tenebris obscuratum habentes cor,* pronunciat idem de iniquis, ad Ephesios IV. Hinc Caritate dicuntur operiri peccata, I. Petri IV. Proverb. X. id est, aboleri, effugari, dispelli. II. Præterea, erat tanta similitudo inter Columnam illam Ignis & Ignem naturalem, quo communiter utimur; ac multo etiam magis inter eam, & Ignem perpendiculararem, qui Columnæ instar in aëre conspici solet, quando materia benè cohærens, & oblonga accendi solet, atque inter ignita meteora numeratur, ut discrimen inter illa, non nisi ratione colligi possit; & etiamnum existiment aliqui, illam fuisse verum ignem. In libro tamen Numerorum cap. IX. bis appellatur, *Quasi species Ignis;* quæ loquutio satis innuit, non fuisse ignem verum, qualis nobis est in usu, sed specie diversum. Siquidem tres numerari solent

Ignis

Ignis species, nisi modos dicere malis. Est enim Ignis, ut carbo, & ferrum ignitum, vel quodcumq; aliud corpus densum ignem continens: quod multum quidem urit, sed parum lucet. Est alius Ignis per modum flammæ, non minus lucens, quam urens. Denique est Ignis, quasi lux Solis, & stellarum, nihil per se urens, plurimum autem lucens. Sic Sidera vocantur Ignes cœlestes. Sumitur hæc divisio ex Platone in Timæo, & Aristotele in Topicis. Ad ultimam autem illam speciem revocare licet Columnam Ignis, quæ usque adeo splendebat, & longè, lateque illuminabat, ut cuncta Hebræorum castra illustraret, & quidem adeo, ut lumine lucernarum haud indigerent, sed clarè viderent omnia, ut claro die.

SIMILE quid animadvertimus in Columnam Caritatis, sed Caritate Theologica, sive Divina, quæ Columna est in Domo Sapientiæ, si cum Caritate naturali compareretur. Nam discrimen illarum non nisi ab intellectu divinitus illustrato rectè potest perspici. Et quam plurimi fabulantur, qui putant Columnam illam luculentissimam Caritatis animæ suæ inhærere, cum non nisi naturalem quandam erga DEUM, & proximum amorem, eumque minimè constantem ac solidum habeant: quippe, qui non nisi materiæ utilitatis propriæ insistat, & pabulo jucunditatis temporaneæ ac corporalis alatur: quo subtracto, confestim interit. Profecto, ut Columna Nubis, & multo magis altera Ignis, non nisi vi quadam transnaturali excitari, & conservari potuit; ita Caritatis Columna non nisi viribus, quæ naturæ potentiam superant, potest constitui. Quod adeo verum, persuasumque semper fuit Theologis, ut reperti sint, qui existimaverint Caritatem, qua DEUM, & proximum diligimus, esse ipsum Spiritum sanctum: quod tamen nulla ratione ad-

(*) Magister sent. in 1. dist. 17. Vide S. Tho. q. 23. art. 2. ib. Interp.

admittendum est. Sed quemadmodum *Columna Ignis* fuit opus Omnipotentis, in quo tamen ipse quodammodo sedem suam collocarat: dicitur enim Dominus præcessisse populum in *Columna ignis*, Exodi XIII. haud secus Deus Caritatem, tanquam *Columnam* in animo stabilit, in eaque peculiari quadam ratione comoratur. Unde Paulus Apostolus Rom. v. *Caritas DEI*, inquit, *diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Ubi de Caritate DEI est sermo, non illa, qua nos diligit Deus, sed qua nos Deum diligimus: & vocatur Dei, tanquam DEI opus eximium, in quo Deus ipse quodammodo residet.

ARTICVLVS VIII.

COLUMNA IGNIS ET NUBIS

Caritatis & Fidei, An & Quomodo distinguantur.

ILLUD autem magna contentione à sacris quibusdam Divinarum litterarum Interpretibus agitur, An una eademque numero re ipsa fuerit *Columna Nubis*, atque *Columna Ignis*, de die lucens Nubis instar, & diurnum iter Hebræis monstrans, eosque dirigens; eadem verò per noctem splendens, ceu *Ignis*, nocturnas tenebras discutens, atque illuminans Israëlitas. Et quidem existimat Hugo Victorinus, fuisse unam & eandem. Idem adfirmat Episcopus Abulensis, ita tamen ut diversimode fuerit affecta diverso usu, ac munere prædita. Quod videtur colligi ex cap. ix. libri Numer. ubi dicitur, *Nubem, sive Columnam Nubis, non solum die, sed etiam*

Tertia Pars

Et

noctu

(*) Hugo cap. 13. Exo. (b) Abul. q. 114. in 13. Exo. Lyran. Exo. 13. Gaict. Exo. 14. Perer, disput. 6. Exo. 13, Torniel, An, 2544. num. 24.

noctu manere solitum supra Tabernaculum Domini
atque *Columna Ignis* erat, quæ per noctem apparebat He-
bræis & castra illorum illuminabat. Probabilissimum
est, si adfirmeretur, *Columnam* illam Nubis, noctu novam
quandam speciem, seu formam accepisse, quæ si solite-
riè esset, *Columnam Ignis* constitueret.

Est quidpiam haud multum dissimile in duabus no-
stris Columnis, *Fide* ac *Caritate*. Fidei Columna distin-
cta est à Columna Caritatis: tamen Caritas velut splen-
dor quidam, dum accedit ad fidem, tribuit illi peculi-
arem quandam speciem, unde dicitur *Fides Formata*, quæ
fit *Columna Ignis*, cum antea esset *Infernis* & obscura, ut
Columna aliqua *Nubis*. Non quod Caritas non distingui-
tur à fide, sed quod tum conjunguntur, in unum aliquod
velut compositum coalescant.

Spectatur Columna Ignis & Columna Nubis pulchrè scilicet
in symbolis heroicis Silvestri Petra-Sancta libro IX. cum hoc le-
mate, ESTE DUCES.

ARTICULVS IX.

BASIS COLUMNÆ CARITATIS

Bonitas Dei.

CVI. insistit Caritatis Columna? Bonitati: an-
imus enim quempiam, quia est bonus: Deum
quia bonus in se est, proximum quia de boni-
tate divinâ participat. Ob duplicem causam, scilicet
quit Bernardus, *Tract de dilig. DEO. DEUM dixerim propter*
seipsum diligendum, sive quia nihil justius, sive quia nihil
fructuosius potest. Meretur amari DEUS propter seipsum, quia
in se

Infideli, qui etsi nesciat Christū, scit tamen seipsum. Clamat nempe
 intus ei innata, & nō ignota rationi iustitia, quia ex toto se illum
 diligere debeat, cui se totum debere non ignorat. Amemus jugi-
 ter DEUM, quia BONUS est: bonus in se, bonus in aliis:
 bonus in præmiis, bonus in pœnis: bonus in Angelis, bo-
 nus in hominibus: bonus in tempore, bonus in æternita-
 te: bonus in Natura, quæ unica; bonus in Personis, quæ
 tres. Est enim BONUS PATER, BONUS FILIUS, BONUS
 SPIRITUS-SANCTVS; Bona Vnitas, Bona Trinitas, quæ
 ut nos bonos faciat, orare non desinamus.

Sunt ergo in primâ Columnatione. seu in primâ serie Columnarum
 (accipio enim Columnationem sicut dicimus Contignationem, ex signis
 compositum tabularum) Columnæ tres, Fides, Columna Nubis, Spes,
 Fides; Caritas, Ignis. Columnatio aliòquin apud Architectos, est Co-
 lumnarū extructio Apule lib. 3. Flor. Quid super est ad statuæ meæ
 honorem? pavimento marmoratio? proscenii contabulatio? sce-
 næ columnatio.



S E R M O II.

SECUNDA COLVMNATIO

Domus Sapientia.

A R T I C U L U S I:

C O L U M N A

Jachin & Booz.

LVSTRANTI Domum Sapientiaæ offert se, præ-
 ter hactenus descriptas Columnas, par maxi-
 marum & elegantissimarum, quas sumptu

Ec 2 re-

regio, artificio singulari, incredibili magnificentia, nobilissimus Architectus Salomon in Basilicæ Ierosolymitanæ porticu collocari mandavit, indito singulis nomine, quod arcana significatione, Templi firmitatem, duritatemque continebat, & denotabat. *Statuit*, inquit Sacer Scriptor, (a) *duas Columnas in porticu templi: cumque statuisset Columnam dexteram, vocavit eam nomine Iachin: similiter erexit Columnam secundam, & vocavit nomen eius Booz.* Utrumque nomen Fortitudinem significat: nam *Iachin* idem est, quod *confirmet*: at verò *Booz*, Fortitudo, stabilitas. Verùm, Fortitudo, aliquando est idem, quod robur, durities, firmitas; interdum respicit tempus, significat perseverantiam, perpetuitatem, constantiam. Illæ itaque Columnæ typi sunt, aut figuræ duarum, quæ ad Ædificium spirituale, vel fulciendum, vel ornandum sunt omninò necessaria, Quæ-nam illæ? Fortitudo, Constantia,

(a) Lib. III. Reg. VII. 21. Lib. 2 Para. 3. & 4.

ARTICULUS II.

FORTITUDO ET CONSTANTIA

Quomodo constituentur duas Columnas Domus Sapientie

ID ut percipiatur commodius, & intelligatur, quomodo in Columnis assimilentur virtutes illæ: OBSERVATIONE Fortitudinis nomine, aliquando indicari firmitatem animi, in quavis virtute exercenda, seu in bono quocumque honesto. Siquidem in omni virtute difficultas aliquando peranda occurrit: nam

----- *Tendit in ardua Virtus.*

Virtus -- dextrum petit ardua collem

Difficilemque aditum primum spectantibus offert

Virtutis via. ---

Hoc sensu S. Ambrosius lib. 1. de officiis, iure, inquit, ea Fortitudo vocatur, quando unusquisque seipsum vincit, iram continet nullis illecebris emollitur, atque inflatur: non adversis perturbatur, non extollitur secundis, & quasi vento quodam variarum rerum, circumfertur mutatione. Atque ibidem distinctione adhibita, sic differit: In duobus generibus, Fortitudo spectatur animi. Primum, ut externa corporis pro minimis habeat, & que superflua, despicienda magis, quam expetenda ducat. Secundum, ut ea que summa sunt, omnesque res in quibus honestas, & illud $\pi\epsilon\tau\epsilon\pi\omega\varsigma$ cernitur, praeclara animi intentione, usque ad effectum persequatur. Itaque ex mente S. Ambrosii, Fortitudo completur contemptum divitiarum, honorum, ac voluptatum, & firmum propositum bono honesto inhaerendi, sic, ut nullis malis sinas te ab eo divelli. Deinde verò, Fortitudo nonnunquam designat Virtutem quandam peculiarem, quae una est ex quattuor Cardinalibus, quae animus rectè se habet in rebus acerbis & adversis, terribilibusque perferendis, aut expugnandis. Qua acceptione definitur à S. Augustino, (c) Considerata periculorum susceptio, & laborum perperio. Ab Aristotele autem, (d) Mediocritas circa metum & audaciam. A Tullio (e) itemque in Tusculanis, Virtus, cuius munera duo maxima, mortis dolorisque contemptio. Ab hac dicitur fortis Samson, David, Laurentius, Agnes, ceterique utriusque sexus Martyres. Haud dissimili modo, Constantia, aut Perseverantia bifariam sumitur. Et quidem signatè Perseverantia idem aliquando est, quod continuatio in virtutum studio, ac Dei gratia usque ad obitum. Quo pacto est proprium Donum

Ee 3

Electo-

(a) Ovid. 2. de Pont. (b) Litt. Pyth. Virg. (c) Lib. 83. quaest. 9. 31.

(d) Lib. 3. Eth. c. 6. (e) Cic. lib. 4. Tuscul.

El Horum: de quo Augustinus lib. de bono, Perseverantia. Interdum verò accipitur pro proposito perseverandi in bono opere, quam diu ratio dictabit, ex affectu peculiaris honestatis, quæ in opere illo cernitur. Ut cum quis vult perseverare in jejunio per totâ Quadragesimâ, sive ut carnem domet, sive ut pro peccatis satisfaciât, sive ut obediat Ecclesiæ, aut simili de causâ. Atq; ita ad quilibet Virtutem spectat: nam virtus omnis ex affectu proprii boni potest velle operis continuationem usque ad finem. Rursum verò, velle perseverare quis ita velle apud se potest, præcisè ex affectu ipsius Perseverantia & continuationis, quatenus id per se honestum est. Scilicet Perseverantia est peculiaris virtus, de quâ S. Thom. 2. 2. quæst. 137. Ab ea autem parum differt, si quid differat *Constantia*. Quid enim aliud est perseverare, quam usque ad finem constantem esse? Sunt autem *Fortitudo* & *Perseverantia*, Virtutes ita connexæ, ut agrè à se mutuo auxiliari possint, & tam germanæ ac similes, ut quod de una dicitur, alteri accommodari soleat.

DICO igitur, *FORTITUDINEM*, & *CONSTANTIAM* sive *PERSEVERANTIAM*, rectè, ut *COLUMNAM* comparari. Quod primò probare licet ex interpretatione nominum Hebraicorum, *Boox* enim Hebraicè idem est quod *in eo fortitudo*, vnde Septuaginta vertunt *ixv's*, id est *Robur*: quomodo ad idem spectet *Iachin*, superius innuavimus. Et id sentiunt ii Scripturæ Interpretes, qui de illas Columnas, Fortitudinis, & immobilis permanentia, sive Perseverantia, aut Constantia, fuisse symbolice asserunt. Ita ferè Ribera, Pineda, Viegas, sequuntur antiquiores. Deinde, Poëtæ, pictores, sculptores, hieroglyphicæ, philologi, quando cumque virtutes quatuor Cardinales exhibent, in carmine, tabula, ligno, marmore, vel chartâ, Fortitudini, similiterque Constantia Columnam

lammam apponunt, vel Columnam solitariè, ut hujus & illius symbolum effingunt. Quod gentium penè omnium usu est receptum, & scutariæ leges in Heraldica disciplina præscribunt, in qua nihil usitatus, quàm in clypeo, vel scutum familiæ Columnam erigere, quæ Fortitudinem, aut Constantiam, vel utramq; designet. Nota sunt Insignia nobilissimæ familiæ apud Romanos, solitaria in Scuti area, COLUMNA à quâ etiam nomen Columnensium Principum in Italia, aliisque regionibus, vocabulo, ex Latino in cujusvis gentis patrium mutato, servata tamen constanter significatione symboli, quo Fortitudo stirpis, & majorum prolapiæ exprimitur. Quid fortius in universo, quàm benè constituta Religio, & optimis legibus munita Respublica? Utramque ut exprimeret imagine symbolica Philologus, qui blandiebatur Carolo IX. Valesio Regi Gallorum Christianissimo, pingi curavit paludatum, duas una manu Columnas inclinatas erigentem, addito versu:

Mira fides! Lapsas renovat manus una COLUMNS.

Et sanè, in Columnâ spectari possunt conditiones plurimæ, aut proprietates Fortitudinis. *Columna*, si describere eam placet, *est lapis* (quamvis ex alia quoque formari possit materia) *firmus, oblongus, aut perpetuus*: vel ut quidam definit, *Firma perpetuaq; muri pars, excitata ad perpendicularum à solo imo, usque ad summum tecti, ferendi, vel alius usus gratiâ*. Itaque in *Columna* est rectitudo inflexibilis, firmitas, stabilitas, continuatio, sustentatio; quæ sunt Fortitudinis, & Constantiæ qualitates. Utraque est recta, in neutram partem declinans: ideoque inflexibilis. Frangere, ceu *Columnam*, citius, quàm flectere Fortitudinem poteris. Est stabilis: moveri nescit. Nulla est in ea interruptio: continuatur ab exordio operationis bonæ,

Ec 4 usque

usque ad calcem. Sustentat virtutum compagem, quæ sine hac & Constantialabitur, non secus ac subductis Columnis, tabulatum.

ARTICULUS III.

COLUMNÆ

Sapientia & Prudentia.

PRÆCLARI quidam Sacræ-Scripturæ Interpretes, Venerabilis Beda, Abulensis, Vatablus, & nominati superius recentiores, Ribera, Pineda, Viegas, censent, Salomonem idem significasse duobus illis nominibus, *Iachin* & *Booz*, nimirum, optare se firmitatem & stabilitatem Templi: nam etiam *Iachin*, aliquando significat firmitatem, ac fortitudinem. Secundum quam interpretationem posuimus Columnas haud multum differentes, *Fortitudinem*, & *Constantiam*, seu *Perseverantiam*. Ac quibusdam magis placet, quod docet Cajetanus, duo illa distingui oportere, ac per *Iachin*, quod propriè significat directionem, aut rectitudinem. Vnde Septuaginta Paralipom. 3. vertunt *κατ' ὀρθωσις*, id est, *correctio*, *directio*, *recta affectio*, designari Prudentiam, sive Sapientiam practicam, per *Booz*, fortitudinem & firmitatem: ut indicare voluerit Salomon, per *Iachin* quidem, quod Templi artificio peculiari & sapientia elegantissimè esset ædificatum, per *Booz* vero, quod fortissimè fundatum, munitum & stabilitum; simulque Deum sit precatus, ut illud in omnibus, per *Iachin* dirigere, & per suum *Booz* roburare dignaretur, & ab hostibus tempestatibusque, omnique periculo eripere. Quare inter Columnas **Ædificii Spiritualis in hac Columnatione**, nominari potest

potest PRUDENTIA quæ necessaria est, ut in Anima Dominus Sapiencia, id est, congeries virtutum, sit Templum DEI: nisi enim Prudentia regantur virtutes, & per lachin dirigantur, diu consistere non possunt. Et hæc est Columna dextra: non minus autem indiget Columna sinistra, Booz, hoc est, Fortitudine ad exequendum, quod prudenter est decretum.

PRUDENTIA præcedit, velut lux viam Virtutis & Sanctitatis demonstrans, quare dextram occupat: FORTITUDO subsequitur, quasi sinistra ut constanter exequutioni mandet, quod faciendum Prudentia præmonstravit. Neutra per se sola sufficit; sed si una alteri sit connexa, quod libet opus bonum perficit Sapienciae alumnus; quidlibet ad salutem necessarium vel utile aggreditur, nec desinit, nisi ad finem constanter perduxerit; quamcumque difficultatem in via salutis occurrentem facile superat: omnia suffert, omnia sustinet, omnibus sese accommodat, ut ab omnibus, quod bonum, addiscat; quod malum, evitare doceatur. Ad quod opus est directione Præsidis Sapienciae, qui frequenter cogitandus, frequenter advocandus. In omnibus viis tuis, monet Salomon (a) cogita illum, & ipse diriget gressus tuos. Vtinam dirigantur viæ meæ, orabat David, (b) ad custodiendas justificationes tuas. Et iterum (c) Gressus meos dirige secundum eloquium tuum. Rursus (d) Dirige me in semitam rectam. Denique, (e) Opus manuum nostrarum dirige. Felix fuit, & victoriosus Josue, quia addicebat illi hanc directionem, & opitulationem Dominus: (f) Confortare & esto robustus (ad debellandos adversarios) noli metuere, & noli timere, quoniam tecum est Dominus DEUS tuus in omnibus, ad quacumque perrexeris. Similis pollicitatio facta fuit Davidi,

Ee 5

vidi,

(a) Prov. 3. 6. (b) Pl. 118. 5. (c) v. 133. (d) Pl. 26. 11. (e) Pl. 89. 17. (f) Jos. 1. 6. 7. 9.

vidi : quanta autem inde bonorum omnium copia
 (a) *Manus mea auxiliabitur ei : & brachium meum confortabit eum. Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non apponet nocere ei. Et concidam à facie ipsius inimicos ejus : & odientem eum in fugam convertam. Et veritas mea, & misericordia mea cum ipso : & in nomine meo exaltabitur conu ejus.*

(a) Psal. LXXX. VIII.

ARTICVLVS IV.

COLUMNÆ ÆRÆ

Fortitudo & Constantia.

Finxit, Salomon, duas Columnas æreas : nomen uni Iachin, alteri Booz. Lib. 3. Reg. vii. 15.

MATERIA duarum illarum Columnarum, quæ ad Domum Sapientiæ transportauimus fuit Æs, quod est metallum durissimum, & simul sonorum: *as sonans* ait Apostolus. Utrumque conuenit Fortitudini, quæ nihil durius, quæ resistit aduersis omnibus, & à nullo superatur: quæ nullos labores metuit, nullo vincitur crimine, nihil reformidat: idque palam edicit sonantissimo. Clamant hac Columna firmi, cum Paulo Apostolo, *Quis nos separabit à Caritate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? Ad Romanos VIII. Et, scio satiari, & esurire. ad Philippenses IV. Eorundem sunt voces, quæ fortissimorum Machabæorum, ita Antiochum tyrannum alloquentium apud D. Nazianzenum. Orat. de Machabæis.*

» Eleazari, dicite Vos, Christi) discipuli sumus, cujus tu
 » fortitudinem perspectam & exploratam habes, Pater
 » prior decertavit, decertabunt postea filii. Abscessit
 » Sacerdos, sequentur victimæ. Multarum tu quidem
 » rerum terribilium metum nobis injicere tentas, ve-
 » rum ad plura parati sumus. Quid autem nobis vir-
 » superbe, atque insolens, minis istis tuis facies? quos
 » cruciatus inferes? nihil his hominibus fortius, qui ad
 » quidvis perferendum prompto & alacri sunt animo.
 » Quid cunctamini carnifices? quid moras necritis ubi
 » gladii? ubi vincula? festinationem requiro. Ignis ac-
 » cendatur, acriores bestix, magisque actuosæ produ-
 » cantur, exquisitiora tormenta proferantur. Sint
 » omnia regia & magnifica. Agnoverunt hanc mate-
 » riam, ejusque qualitates in Columna Fortitudinis ho-
 » mines à fide nostra alieni. Clarè Tullius libro tertio de
 » Officiis, *Harum, inquit, virtutum (Magnitudinis animi
 » & Fortitudinis) proprium est, nihil extimescere omnia humana
 » despiciere: nihil quod homini accidere possit, intolerandum putare.*
 » Quod sonora sit, æris instar, non tacuit Seneca, epistola
 » LXI. sic scribens: *Nonne Fortitudo optabilis est? atque pericula
 » contemnit, & provocat? altissima nimirum voce. Pulcherri-
 » ma pars ejus, maximè que mirabilis illa est, non cedere ignibus, ob-
 » viam ire vulneribus, interdum tela ne vitare quidem, sed pectore
 » excipere.* Quos non sonos, fortitudinis æreæ indices, de-
 » derunt è nostris, Laurentius in craticula, Agnes in lupa-
 » nari, Sebastianus ad stipitem, Achatius cum decem mil-
 » libus in Cruce?

Est prætereà Æs ejus naturæ, ut rubigine non ob-
 » ducatur, certè, non consumatur. Ob quam causam Pa-
 » pa Grogorius lib. 27. Moral. cap. 25. Virtutibus Angeli-
 » cis æris proprietatem tribuit, quod nulla jam rubigine
 » surripientis culpæ mordeantur. Gaudent hac dote Co-
 » lumnæ

lumnæ

lumnæ Fortitudinis & Constantiæ, quibus nihil vitiosi, quantum sinit humana imbecillitas adhæret, quos rubigo affectionum inordinatarum non exedit, quos nunquam ullius criminis gravioris ærugo consumit. *Fortitudo* enim & *Constantia* omnes animi perturbationes, ac cupidates vi quadam indita retundit. Siquidem, ut docet S. Ambrosius lib. i. de officiis cap. 36. *Iure ea Fortitudo vocatur, quando unusquisque se ipsum vincit, iram continet, nullis illecebris emollitur, atque inflectitur: non adversis perturbatur, non extollitur secundis.* Fortitudine invictus non censetur, qui non potest suis imperare cupiditatibus, qui non refrenat libidines, spernit voluptates, iracundiam continet, coërcet avaritiam, ceteris animi labes repellit, velut rubiginem. Peculiaritamen quadam ratione Rubigo virtutum appellatur *Vana gloria*: & sanè, quod vestibus est blatta, teredo libris, rubigo ferro, id virtuti est, *Vana gloria*, qua multæ corroduntur, & consumuntur aliquæ. Sed huic malo constantius, quàm æs, resistit Fortitudo: quod præclare probat D. Prosper libello de vita contemplativa cap. xx. ubi cum dixisset, veram animi fortitudinem non jactare se de sustinètia, non blandiri sibi de favore vulgi, quo prædicatur, non plus gaudere ex eo quod laudetur, quàm ex eo quod habet unde laudetur; subjungit, veram fortitudinem talibus blanditiis repugnare, nec adquietcere mollibus cum adjuvante Domino dura atque aspera superet.

ADHÆC, invicta quædam res putatur Æris materia. Hinc, *arcus æreus* Psalmo xvii. *porta æreæ*, Psalmo cvii. *ærea vincula*, Danielis iv. Talis est *Columna Fortitudinis*, quæ, ut scribit D. Ambrosius. *invicta est ad labores, fortis ad pericula, rigidior adversus voluptates, dura adversus illecebras, quibus aurem deferre nescit.* Et quoniam Æs res est invicta, æternitatem spectare censetur. Ita apud Virgilium, *maxima*

ære trabes legimus, ad perennitatem concatenationis significandam. Apud Horatium, *Monumentum ære perennius*, ad memoriæ æternitatem. Huc spectat *Serpens æneus*, de quo Numeror. XXI. & Ioann. III qui diuturnitatem nunquam finiendam salutis per Christum Servatorem indicabat. S. Augustinus in explanatione Epist. ad Galatas. *Nec propter aliud ille Serpens Æneus factus erat, nisi ut permansura Passionis Dominica fidem significaret. Etiam vulgo dicuntur Ænea, quorum numerus manet.* Subjungit paullo post: *Nunc autem tanquam Ænea permanet Crucis fides.* Olim quoque *Ærei clavi* cadaveribus infigebantur, quod ne putrescant, vel ut diutissimè serventur, efficiat: ea erat persuasio. Quam confirmet Vegetius, probans æreos clavos compingendis navibus idoneos esse, ac ferreis firmiores, quod hos tempore & humore celeriter rubigo consumat, illi etiam in fluctibus incolumes maneat. Fortitudo & ipsa per se constans est virtus ac perpetua, & quibus jungitur, aut tanquam clauus infigitur, perpetuitatem communicat.

ADDATUR ad encomium Æris; quod in eo auri color rutiler, argenteus sit sonus, ferri firmitas, chalybis acumen, metallorum penè omnium decus dotesque. Idem cernes in Fortitudinis Columnâ, à quâ nunquam absunt aliarum virtutum prærogativæ. Nam, ut disserit S. Ambrosius in I. Officiorum cap. 35. Nunquam Fortitudo est incomitata, nempe, fide, iustitia, ceterisque: alioqui fortitudo sine iustitia, iniquitatis materia est. Et præclare Lactantius, lib. I Inst. cap. 9 *Ille solus vir fortis debet judicari, qui temperans est, moderatus & iustus.* Est in Fortitudinis Ære aureus Iustitiæ splendor. Interrogatus à suis Rex Agefilaus, utra virtus esset præstantior, Fortitudo, an Iustitia? graviter respondit: *Fortitudinis nullum esse usum, nisi adsit Iustitia*, ut habet Plutarchus in Apopt. Laconicis.

A R-

ARTICULUS V.

COLUMNÆ MARMOREÆ

Fortitudo & Constantia.

ALIAM earundem Columnarum materiam invenio in Architecturæ sacræ volumine: nam easdem spiritualis Aedificii Columnas significatur reor symbolice Tibiis Sponsi, quas Dilecta Columnas vocat marmoreas, *Canticorum* v. 15. *Crura*, inquit, *illius, Columna marmorea super bases aureas.* Mystice, Crura Sponsi, sunt, ut Cantici Salomonici Interpretes, Theodoretus, Hailgrinus, & illos sequuti recentiores exponunt, *Fortitudo* ejus, & *Perseverantia*, seu ad finem usque *Constantia*: quæ madmodum Tibiæ totam corporis molem, & Columnæ aedificii machinam, sic dictæ Virtutes spiritualis Aedificii corpus sustinent. Certè, Fortitudinem invictam nunquam non exhibuit Sponsus Christus in seipso Diabolum ac Mundum vincendo; & nobis quotidie exhibet, ingeminando ad quemlibet inimici insultum, *Confidite, quia ego vici mundum.* Joann. xvi. 33. Constantem perseverantia ostendit continuis vitæ totius laboribus, molestiis, injuriis, contumeliis, animo æquissimo, usque ad Crucem perferendis, & in ea mortem oppetendo, & descensum in ea constantissimè, quamvis irritaretur, provocaretur, exstimularetur, negando. Fuit hæc constantis *Fortitudo*, ut marmor, dura, rigida, inflexibilis: qualis requiritur, vel optatur in Alumno Sapientiæ.

Cum autem varia sint marmorum genera, quæ ac-
curate

accuratè recenset Plinius (a) in naturali historia. Et quoddam quidem album, quod Parium dicitur, & splendet egregiè: hinc illud Lyrici (b)

Splendenti Pario marmore purius.

aliud viride, quod Laconicum appellant; aliud maculosum in Serpentis modum, aliud rubrum, candidis punctis interstinctum, existimatur Sponsa conferre Crua su: Dilecti, vel cum alabastrite, vel cum illo, quod in Paro insula provenit; unde Aquila & Symmachus vertunt Paria,

Caduntur Paria qualia saxa jugis.

Marmor verò qualecumque, quia lapis est durissimus ac solidissimus, qui in precio ubique habetur, per illud eadem indicantur, quæ per æs, si duo adjungas, quæ mirificè Fortitudini, & in ea Perseverantiæ conveniunt. Unum est candor, qui Fortitudinis sinceritatem, & omni nudam hypocrisi, & simulatione, doloque malo repræsentat. Non est Fortitudinis fingere, simulare, hypocritam agere; lucem veritatis fugere. ore jurare, mentem injuram gerere: est hoc timidorum, quibus tantum non est animi, ut sese adversitatibus opponant. Quare Sapienter M. Tullius primo de Officiis removet à fortitudine vafriem & calliditatem minus ingenuam, illiq; designat Candorem Parii marmoris splendentem. *Probè, inquit, definitur à Stoicis fortitudo, cum eam virtutem esse dicunt pugnantem pro aequitate.* Quocirca nemo, qui fortitudinis gloriam consequutus est, insidiis & malitia laudem est adeptus: nihil enim honestum esse potest, quod iustitia vacat. Præclarum igitur Platonis illud: *Scientia, quæ est remota à iustitia, calliditas potius, quàm Sapientia est appellanda.* Alterum, quod à Marmore, immò & ab ære indicatur, est pretium: in pretio est utrumque, & non

(a) Plin. lib. 36, cap. 3. (b) Horat. 1. Carm.

& nō mediocri comparatur pretio. Nullus inter omnes
 Ædificii spiritualis lapides, videtur esse majoris pretii,
 quàm *Fortitudo* & *Perseverantia*, pro quibus solis merces
 persolvitur. Et quare in pretio est Nobilitas? quia à For-
 titudine ducit initium. Qui nam maximis stipendiis &
 honoribus conducuntur ad militandum pro Republica?
 Viri fortes, & constantes. Quibus præmium promit-
 titur pretii inæstimabilis? perseverantibus. *Pretiosum*
conspectu Domini mors Sanctorum, Psal. cxv. 15. id est, perse-
 verantia. Denique, quæ fortitudine peculiari quadam
 ratione, pretium conjungit Sapiens Prover. xxxi. 10. Ma-
 lierem, nempe, animam fortem quis inveniet? procul & den-
 timis finibus pretium ejus.

ARTICVLVS VI.

COLUMNARUM MARMOREARUM

*Situs, Aequalitas, Altitudo, Crassities, Circumferentia, Canitudo,
 Capitella, Ornamenta, ad Tropologiam accommodata.*

AD Situm quod spectat, statuit princeps Architectura
 Salomon duas illas firmissimas Columnas in Porti-
 cu Templi, (a) ut dicitur libro III. Reg. cap. VII. Quæ Por-
 ticus erat Templi vestibulum; ita una Columna
 uni portæ Porticus, altera alteri adstaret: nimirum, a
 utroque latere Portæ Aulæ Sanctæ, ad dextram unam
 ad sinistram alteram. Qui Situs significat, Columnas
 Fortitudinis ac Constantiæ, seu Perseverantiæ adesse
 debere, tum in prosperis; quæ per dextram denotantur

(a) Ribera lib. 2. de Temp. c. 12. Vilalpan. lib. 5. c. 5. Salomon.
 Tornieli. Adrichom. Pineda lib. 5. Salomon. c. 5. Viegas Apoc.
 3. Sect. 6.

tum in adversis, quæ per sinistrum. Semper & ubique in DEO & virtutum studio firmiter est consistendum, nunquam à bono & honesto, nunquam à pietate recedendum. Ita stationem suam servabat Paulus Apostolus, cujus hoc decretum: secundo ad Corinth. 6. *Per arma justitiæ à dexteris, per gloriam, & ignobilitatem; per infamiam, & bonam famam.* Quicumque Domum Sapientiæ incolere statuit, sciat tam se fortem constantemque esse oportere, ut nec adversis deiciatur, nec prosperis extollatur, sed in utraque firmiter persistat immobilis. Erant autem binæ illæ Columnæ *ÆQUALES*, & ejusdem operis, ac omninò similes, quoniam *Æqualis* esse debet in utroque statu, miseræ & felicitatis *Fortitudo* ac *Constantia*. Nec vacat arcano intellectu, quod fuerint ante fores Templi in vestibulo: nimirum, ad ingressum, immò, ante ingressum in Domum Sapientiæ firmandus est animus ad fortunam utramque.

ALTITUDINEM habebat quælibet Columna decem & octo cubitos. Omitto altercationem Interpretum de sensu litterali secundum Architectonicam vulgarem: secundum Mysticam, quam hic tractamus, rectè dixeris, ea mensura indicari, dum in hac vita versatur Sapientiæ discipulus, non in fide tantùm, aut in operibus bonis solum fortiter perseverandum esse, sed simul in fide, & in operibus: quia fides sine operibus mortua est in semetipsa. Hoc autem arcanum in iis numeris latere *Beata & Angelomus* sic declarant. Tria fidem innuunt, propter sanctissimam Trinitatem, præcipuum fidei Christianæ mysterium: sex operationem omnem bonam denotant, quod sex fuerint dies, in quibus mundus sit conditus. Tria autem per sex multiplicantur, quando justus, qui ex fide vivit, cognitionem piæ credulitatis, executione

Tertia Pars.

Ff

tionem

(*) Abulens, Lyran. Caieta. Vatabl.

tione bonæ actionis accumulatur. Jam verò, ter seni, decem & octo faciunt.

PORRO, Columna utraque, ut Ieremias prodit, capite LII. intrinsecus cavaerat. Ergo in tam vastis, firmisque machinis erat etiam sua vacuitas & inanitas. Quid hic mysterii ad Fortitudinis & Constantiæ Columnas? est, virtutes hominis ad Sapientiæ culmen, ac perfectionis apicem aspirantis? Nimirum, quantumvis virtutibus, tanquam splendidum æs fulgeat, quantumvis in observatione non mandatorum tantum verum etiam consiliorum desudet, quantumvis sit animo in cœlum erecto, non erit tamen ejus *Fortitudo & Constantia* omnino integra ac solida, quamdiu mortalis inter mortales aget: nam & remittet interdum de intensione illa in vehementi, & non laborabit semper æquè fortiter, & dabit aliquando aliquid carni & sanguini, & committet interdum peccata aliqua, levia quidem illa, & venialia peccata tamen, & quidem quotidiana: nam justus peccat in die cadit. An non hæc magna est in Columnis æreis vacuitas?

ADDIT Propheta Ieremias, Columnas istas intrinsecus quidem cavas fuisse, ita tamen, ut *CRASSITUDO* five, ut vertit Interpres Vulgatus, *Grossitudo* æris extrinsecus fuerit quattuor digitorum in circuitu. Quas mensuras iuxta proportionem librans Vilalpandus, iudicavit singulas Columnas ponderasse quinque talentorum millia, utramque verò decem talentorum millia. Ad Eupolemus apud Eusebium, Salomonem totas Columnas vestisse auro ad crassitudinem digiti unius. Ex quo colligit idem Vilalpandus, in Columnis istis duabus auro vestiendis expensos fuisse 95. milliones. O Columnas ponderosas, & pretiosas! Sed nos Grossitudinem quattuor digitorum æris consideramus, & iis indicari debemus,

nis, sensu spirituali & mystico, ad morum informatio-
nem accommodato, quod, qui fortiter, ac constanter
perseveraturus sit in Domo Sapientiae, sive in custodia
praeceptorum divinatorum, multa ex Evangelicis Cōsiliis
adhibere debeat, quae si contemnat, praecepta non raro
violabit. Id, ut intelligatur, moneo, mensuram quattuor
digitorum in arcano sermone indicare opera perfectio-
nis, seu Cōsiliorum Evangelicorum: nam digiti symbo-
licè significāt, quae excellentiora sunt in iis quae efficiun-
tur. Cum enim manibus quaelibet fiant, tunc solent di-
giti nominari, quando in opere aliquo potentia quae-
piam singularis, praestantia, aut nobilitas commendatur.
Sic Magi Pharaonis potentiam Dei admirati in iis, quae
patrabat Moses, exclamaverunt: *Digitus Dei est hic*, Exodi
VIII. & Dominus Lucae XI. *Porro, si in digito Dei eicio Da-*
monia, profecto pervenit in Vos regnum Dei. Sic laetus cantabat
Psaltes, Psal. VIII. cum admiraretur caelorum archite-
cturam: *Quoniam videbo caelos tuos opera digitorum tuorum*.
Jam verò, perfectio operum Christianorum, quattuor
Evangeliorum libris continentur, in quibus, praeter
Mandata DEI, Consilia etiam Servatoris docentur, quae
nobilitate excellunt, & in iis divina potentia magis elu-
cet.

CIRCUMFERENTIAM, quam aliqui crassitudinem
vocat, Josephus historicus lib. VIII. antiq. cap. 2. scribit
fuisse singularum illarum Columnarum, duodecim cu-
bitorum; ita intelligens, quod habetur lib. Regum ter-
tio cap. VII. *Et linea duodecim cubitorum ambiebat Columnam*
utramque. Hebraicè. *Et filum duodecim cubitorum circuibat*
Columnam secundam. Si secundam, inquit Cornelius, er-
go & primam: erant enim duae illae Columnae omninò
aequales & pares. Per *Lineam*, vel, ut est in Hebræo, *Filum*
intelligenda est mensura, filo enim mensuratur rerum

crassities; ut sit sensus, Columnæ istæ in ambitu & crassitie habebant mensuram duodecim cubitorum, lineâ designante peripheriam sive circumferentiam. Hoc autem non de duabus Columnis simul, ut existimant Vilalpandus, Salianus, & alii nonnulli, sed de singulis accipiendum esse, certum videtur ex Ieremiâ capite 21. ubi Columnas istas à Chaldæis Ierusalem vastantibus abductas describens, ait, *Decem & octo cubiti altitudinis erant in Columna una: & funiculus duodecim cubitorum circumbat eam*, scilicet Columnam unam. Ita Abulensis, Caietanus, Pagninus, Vatablus, Sanchez. Quid hoc designat mysticè ad nostram instructionem? Linea duodecim cubitorum in Fortitudinis & Constantiæ Columna, est Norma Apostolicæ institutionis. Quare tunc Columnam Fortitudinis, Constantiæ seu Perseverantiæ censeatur cingere, quando constans, ac perseverans Fortitudo est ad regulam institutionis Apostolicæ. Quicumque igitur fortem se constantemque exhibere contendit in iis, quæ non sunt consentanea doctrinæ ab Apostolis traditæ, in eo potius pervicacia, contumaciaque, quam *Fortitudo*, aut *Perseverantia* locum habere dicetur.

DENIQUE, Columnis istis imposita erant CAPITELLA, quæ variis ornabantur florum fructuumque, signatè, malogranatorum sculpturis. Et quidem Vitruvius, et quo tanquam magistro, Architecti posteriores, Columnis triplex imponunt *Capitellum*: & primum vocant *Epistylum*, quod proximè Stylo, sive Scabo Columnæ imponitur: secundum, *Zophorum*, quod inter epistylum & Coronicem interponitur, ac pulvinatis figuris, ornamentisque diversis instructum plerumque visitur: tertium, *Coronicem* appellant ipsam Capitelli Coronidem. Omnia ista Capitella fuisse in duabus iis Templi Columnis docet accuratè Vilalpandus, & alii Architectura

sacræ

sacræ periti, ac librorum, tertii Regum, & secundi Paralipom. interpretes, quibus accedit Josephus historicus.

Nos ex his moralitatis aliquid exsculpamus. Columna utraque, Fortitudo, & Constantia suum debet habere Capitellum, quod imponendum est ab Architecto spirituali, qui illud facit, si constanter perseveret usque ad finem. *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. (b)* *Qui legitime certaverit, coronabitur. (c)* *Qui certat in agone non coronatur nisi legitime certaverit.* Corona Capitellum est, idque triplex, mysterium sanctissimæ Trinitatis, & fidem trium Personarum Divinarum innuens. Capitelli triplicis altitudo erat quinque cubitorum: quoniam Corona pro quinque sensuum voluptatibus fortiter constanterque superatis redditur: & tunc optimè finis operi imponitur, quando de quinque sensuum illecebris triumphus deportatur. Species catenarum, & similitudo retis in Capitellis, innuit varietatem virtutum operumque spiritualium in quibus fortiter constanterque persistendum est. Malo granata ducenta in circuitu Capitelli, fortitudini, constantiæque; magnam & multiplicem conjungendam caritatem, concordiam, zelum insinuant. Tandem, liliata erant Capitella, inquit Josephus, id est, desinebant in Lilium, florem fragantissimum. Quid autem per Lilium, nisi æternitatis fœlicitas, & immortalitatis floribus redolens amœnitas designatur? in quam perducta ad vitæ finem Fortitudo bonorum desinit. ita fere V. Beda & Angelomus. Ne autem desideres in patria felicitatis, ubi DEI visio est beatitudo essentialis, accessoriam, quam Theologi accidentalem vocant, memineras, quod in descriptione harum Columnarum adiungit textus sacer, & clarius dicit Josephus. Capitella

FF 3 fuisse

(a) v. Beda lib. 3. Reg. (b) Matt. x. 22. (c) 2. Timoth. 2.

fuisse cincta fasciis æneis in modum retis sive catenarum, quæ per intervalla aperturas, quasi annulos & cancellos, per quos capitellorû liliatorum elegãtia appareret. Hæ fasciæ septies circuibant Capitella singula, ita, ut quasi septem fasciarû versus, sive ordines, & gyros efficeret. Quibus optimè designatur Beatitudo accidentalis, quæ ex multis rebus, septenario numero indicari solitis, oritur. Siquidem multæ sunt causæ gaudendi istis, qui in hac vitâ fortes in agendo; & constantes in patientiâ, perseverantiæ præmium, in altera, intrando in gaudium Domini sui, percipiunt.

ARTICULUS VII.

COLUMNÆ ROTUNDÆ

Fortitudo & Perseverantia.

DE FIGURA duarum illarum Columnarum posse fortasse lis moveri; videntur enim nonnulli eas quadratas facere, uti sunt pilæ struẽtiles illæ, quæ dimidiatas Columnas in hoc templo ad pactas habet. Immo, quidam existimant, non tam fuisse Columnas ad symmetriam & proportionem architectonicam Columnarum fabricatas, quàm moles, & turres, vel arces quædam ingentes æneas ad templi magnificentiam, & munitimem erectas, qui rotunditatem illis demunt, & faciunt angulares. (a) Idem posset quis afferere de Fortitudine, & in ea quattuor latera, & totidem angulos concipere. Quod fecisse videtur Clemens Alexandrinus lib. vii Stromatum, Fortitudini virtutes quattuor, veluti partes

(a) Cornelius à Lap. 3. Reg. vii. 16.

adcribens: nimirum *Tolerantiam*, *Magnitudinem animi*, *Liberalitatem*, & *Magnificentiam*. Paulò aliter S. Augustinus lib. LXXXIII quæstionum, in trigesima secundâ. Fortitudinis partes sunt, *Magnificentia*, *Fidentia*, *Patientia*, *Perseverantia*. *Magnificentia* est rerum magnarum, & excelsarum cum animi ampla quadam & splendida propositione cogitatio, atque administratio. *Fidentia* est, per quam magnis & honestis in rebus multum ipse animus in se fiducia cū certâ spe collocat. *Patientia* est utilitatis aut honestatis causa, rerum arduarum ac difficilium voluntaria, ac diuturna perpesio. *Perseverantia* est in ratione benè considerata stabilis ac perpetua permansio. Inter recentiores, Jovinianus Pontanus lib. I. de fortitudine bellica & heroica, In virtutibus quæ Fortitudini famulantur, inquit, est *Tolerantia*, quæ est equalaborum ac molestiarum perpesio. Item, *Duritia*, imbecillitatis, & mollitiei expultrix. Item *Patientia*, stabilis & firma perpesio eorum omnium, quæ dura, aspera, difficilia, gravia, arumosa contingere unquam possunt. Firmitas quoque, quæ periculosis atque adversis nullò modo succumbendum esse docet, & possessori suo persuadet. An non hæc tibi videntur Columnæ unius quadratæ latera? Non nemo fortasse ingeniosius probaret, binas illas Columnas sex laterum esse, & sex angulos. Nam, quod est Canticorum v. *Crura ejus Columna marmorea*, Hebraicè legitur Columnæ *Ses*, cū gemmo *v.* quod Delrius ibi suspicatur significare album vel candidum, Interpretem autem Latinum, rei candidæ applicasse, de qua agebatur vertendo, *marmor* aut *marmorea*; cum idem illud Genesis xli. & Proverbior. 32. vertat *byssum*. At Georgius Venerus Tomo v. problemat. sequutus Zoar, docet, significare *Ses*, marmor & senarium, & designari posse extremitates quasdam, vel latera.

VERUM communis est sacrorum Interpretum persuasio, quam Pictura templi bibliaca confirmat, utramque

que

que Columnam in Porticu fuisse rotundam, quam figuram duabus in Domo Sapientiae iis respondentibus, Fortitudini & Perseverantiae adsigno. Rotunda figura est reliquarum complementum & decus, capacissima & ornatissima, & potest esse peripheriae maximae, ut rursus comparetur vel una. Quales videntur Romae duae, Trajani & Antonini, tantae vastitatis, ut unam plures viri expansis brachiis in circuitu complecti nequeant. Amplior est rotunditas accapacitas Fortitudinis, & Perseverantiae, quae ambit omnia operum bonorum genera, omnia tempora, circumstantias, & conditiones omnes, nihilque à suo complexu excludit. Non est satis ad Studiosi Sapientiae, & perfectionis spiritualis titulum obtinendum a ut conservandum, esse forte in tolerandis injuriis verbalibus: irritari verberare & vindictam expetere: constantem se gerere in ærumnis externis, in internis vero occumbere: perseverare in jejuniis, non continuare orationem debitam: initio fervere, paullo post tepere, tandem frigere. Porro, quattuor virtutes illae superius nominatae non tam sunt latera vel anguli Columnarum principalium, quam Columellae quaedam circumstantes: nunquam enim Fortitudo, Constantia, & Perseverantia reperiuntur solitariae. Quod de una scripsit Seneca, epist. 67. omnibus convenit: *Cum aliquis tormenta fortiter patitur, omnibus virtutibus utitur fortasse, quamvis una promptu sit, & appareat Patientia. Ceterum, illic est Fortitudo, cujus Patientia & Perseverantia, & maxime Tolerantia rami sunt: illic est Prudentia, sine qua nullum inicitur consilium, quae suadet, quod effugere non possis, quam fortissimè ferre: illic est Constantia, quae deijci loco non potest, & propositum nulla vi extorquente dimittit: illic est individuus comitatus virtutum.*

Quoniam autem ad numerum Senarium attinet, is recte

Colum:

Columnis istis Domus Sapientiæ, non demendo iis quicquam de rotunditate adscribi potest. Si quidem denotet sex positionum differentias in loco, ad quas se Fortitudo & ejus comites extendunt: videlicet, *Summum & Imum, Ante & Retrò, Dextrum & Sinistrum*. De quibus Paulus Apost. ad Ephesios tercio: *Vt possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo*, in dextrum videlicet, & sinistrum; *Longitudo*, in ante & retrò; *Sublimitas & profundum*. Secundum quas dimensiones, dicit Christum habitare in cordibus nostris, cujus Virtus, nimirum, *Fortitudo, Constantia & Perseverantia*, in omnes partes extenditur.

ARTICVLVS VIII.

COLUMNÆ STRIATÆ

Fortitudo & Perseverantia.

CVM Columnarum aliæ sint in superficie leves ac planæ, aliæ striatæ, id est, striis, seu canaliculis quibusdam, & quasi sulcis, secundum scapi longitudinem, excavatæ, atq; distinctæ, ut in hac basilica videtis plurimas; ex harum genere erant Columnæ binæ Fortitudinis & Perseverantiæ symbola. Quid autem sulcus, stria, vel, ut in te rusticâ Latini dicunt, Lira, in Schola arcana Sapientiæ indicant? Mortificationem inquit vitæ spiritualis Magistri, qua pravæ appetitiones coërcentur, & corpus per macerationem carnis extenuatur, ut promptius spiritui obediat. Cui est in optatis resistere fortiter insultribus inimicorum spiritualium salutis suæ insidiantium,

sium, & constanter permanere usque ad finem vitæ in
 observatione divinatorum mandatorum, sine qua perfe-
 verantia nemo salvabitur, illi frequenter negandum est
 quidpiam, quod caro & sanguis postulat, quod sensualitas
 appetit, in quod mollis ac depravata natura inclinat.
 Qui in cibo & potu non vult excedere, quod præscribit
 lex Temperantiæ, sæpenumero non solum à vetitis &
 supervacaneis, sed à licitis etiam ac commodis, & pala-
 tum irritantibus, mortificando sensum, abstinere de-
 bet. Qui castitatem illibatam, ut decet adolescentem
 studiosum, conservare desiderat; non tantum oculos à
 vanitate avertat, dum malarum cogitationum est disci-
 men proximum, verum etiam pangat fœdus cum oculis
 suis, dum ne quidem videtur remotum: quod mortifi-
 catio suadet. Eadem impellente, manus contineat ab
 omni mollitie, pedibus, ne quocumque allubescit, ve-
 gentur, compedes sponte iniiciat, denique, bellum sen-
 sualitati indicat. Existimare purum & immaculatum vi-
 vere hominem in hac naturæ ad malum pronitate, &
 corruptela, qui omnia sensualitati indulget, opiparè
 temper comedit, generosa bibit, molliter vestitur; qui
 videt & videtur, in plateis, foro, templis, theatris, divi-
 foriis; visitat & visitatur, annuit, ludit, nugatur, procatu-
 quamvis fortasse sit Clericus, id est opinari, quem pie-
 in flammis illæsum consistere; picem tangere, nec inque-
 nari; plumbum in aquam cadere, & non subsidere: qui
 sine miraculo posse contingere negant Sapientes, &
 quis ambigat? Itaque ut in Virtutum studio perfectior
 amans perseveret, opus est mortificatione; quam For-
 tudinis & Perseverantiæ *Columna striata* designat.

In Striis etiam, seu sulcis illis contemplor decus Perse-
 verantiæ, & rerum adversarum longam Tolerantiam. Et
 enim *Sulcus*, velut ab aratro inductus gravissimæ peccati
 patientiæ.

patienter toleratæ sacra nota. Psalmo cxxviii, ubi nos legimus: *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores: quod Christo D. crudeliter virgis cæso accommodatur à commentatoribus sacris, S. Hieronymus habet in versione suâ, Super cervicem meam araverunt arantes: Chaldeus, Super corpus meum araverunt.* Quo loco aratio figuratè dicitur de multitudine, acerbitate & profunditate flagellorum, quibus in humero utroque, in dorso, in tergo, immò in toto corpore ducti, ac incisi quodammodo per longitudinem fuerint sulci. & de patientiâ perferentis, quæ cum marmoris, aut telluris liras excipientis sufferentia conferri poterat. Genebrardus nobilis Interpretès Psalmorum, arationem illam refert, post Theodoretam, ad ungulas & fidiculas Martyrum, quibus illorum corpora à carnifice sulcabantur, sed convenientius exponitur de **Vulneribus Christi D.** quæ velut striæ, à flagellis erant producta.

ITA QUE *Striata, Sulcataque* est Columna Fortitudinis & Perseverantiæ, id est Patientiæ notis in longum protractis, & longanimitatis relictis signis, tanquam emblematis exornata. Non me falli testabitur magnus inter Architectos Christianos Ambrosius Antistes, (a) qui censet, Fortitudinem in patienter tolerando, quam in strenuè aggrediendo vel superando potius consistere. Quod docuerat antea Aristoteles, (b) in Ethicis. Utriusque sententiam laudat S. Thomas, (c) & tribus luculentissimis roborat rationibus. Primò enim toleramus valentiores: invadimus autem illos, quos putamus imbecilliores. Deinde verò, tolerando mala præsentia experimur; aggrediendo, futura operimur. Denique, punctulo temporis aggredi possumus, sustinemus autem ali-

(a) S. Ambros. lib. i. offic. cap. 45. (b) Arist. 3. Ethicor. cap. 9. (c) S. Thom. 2. 2. q. 123.

aliquo temporis intervallo, & sæpe tempore in longum protracto. Accedit, quòd ex Beatitudinibus Christi doctrina celebratis una sit, *Pati persecutionem propter iustitiam*, quæ inter præcipuas habetur, & gloriosissimos facit Martyres. Exemplis idem confirmat D. Ambrosius, Machabæorum, Stephani, Agnetis, Laurentii, Xisti Pontificis. Nec abnuat Seneca, probans cum aliquis tormenta fortiter patitur, omnibus illum uti virtutibus: sententiam superius integram recitavimus.

ARTICULUS IX.

COLUMNÆ FUSILES

Fortitudo & Perseverantia.

VTRAQUE Columna, cujus nos contemplatio & explicatio sat diu detinuit, fuit Fusilis; quo fingendi artificio (nam, ut habet sacer textus, *fluxit*, Salomon (duas Columnas æreas) brevi tempore fieri possunt, quamvis altissimæ. In eo autem latet ingens quoddam secretum modò eruendum. Possunt-ne nostris tantum laboribus binæ istæ Columnæ, Fortitudo & Perseverantia parari atque erigi in anima Sapientiæ Domicilio, & Templo DEI? Non possunt, licet dies noctibus jungerentur, & annorum aliquot centuriis laboraremus strenuè. Quomodo ergo haberi possunt, quod necessarium cum absque iis non subsistat Domus Sapientiæ? Dicant categoricè. Si fundatur à summo Architecto: sunt enim DEI Dona, ac beneficia gratuita, quæ à Theologis vocantur *Virtutes infusæ*: nimirum, funduntur in anima, & æreæ quædam Columnæ ad ædificii spiritualis superie-

rem


rem partem sustinendam. Docuit id de Fortitudine egregiè B. Prosper, (a) qui nominatis quattuor virtutibus principalibus, Prudentia, Iustitia, Fortitudine & Temperantia, attexit dogma Theologicum: *Verumtamen hoc imprimis nosse & tenere debemus, quod ista quattuor virtutes, vel omnes, quæ ex illis existunt Dona sint DEI, & , quod nullus eas habet, habuit, vel habebit, nisi DEUS, qui est omnium virtutum origo, contulerit. Quoniam quicumque quocumque tempore, in quacumque gente, in DEUM credentes ex fide vixerunt, illius dono, temperantes, ac prudentes, iusti ac fortes fieri utique potuerunt.*

PORRO, Columnam illam, quæ dicitur Perseverantia, siue accipiatur, pro continua quadam in bono consistentia, quæ in eo est sita, ut post acceptam semel gratiam sanctificantem, nunquam amplius pecces mortaliter, sed sine interruptione persistas in statu gratiæ, cum decreto animi firmissimo persistendi in bono; siue pro finali perseverantia, quæ in eo consistit, ut vitam finias in gratia Dei, quicquid sit factum toto tempore antecedenti, constat tale esse beneficium, ut nullis nostris meritis illud infallibiter à DEO possimus obtinere, ex iustitia (de condigno ajunt Theologi) Quamvis enim homo iustus ac Deo carus queat mereri præsidia, quibus possit perseverare, si velit, quæ est D. Thomæ sententia à multis probata; (b) non tamen potest ea mereri auxilia cōgrua, quibus infallibiliter perseveret: quod plurimum differt à membro anteriori. Aliud enim est, posse perseverare si velis, aliud, actu perseverare: sicut aliud, posse Columnam erigere; aliud, illam ipsam erigere. Actu autem perseverare, à quo pendet salus, speciale Dei Donum est, quod non cadit sub meritum, sed assidue per preces cum metu & timore à Deo postulandum

(a) S. Prosp. de vita contemplativa cap. 18. (b) Bellarmin. de lib. 2. de grat. cap. 12. Suarez lib. 3. de Auxil. c. 11. Becan. Tract. de merito Catholicor. cap. 5.

dum est, ut monent, cum S. Thoma, Theologi, (a) Quo
spectat illud ex Oratione dominica: *Ne nos inducas in
rationem: id est, fundas in nobis Columnam Fortitudinis
& Perseverantiae. Quod quotidie jubemur orare.*
Et si id firma fide ac spe faciamus, impetramus.
Verè enim scripsit Augustin. lib. de bono perseverantiae
cap. xvii, *Restat in his bonis usque ad finem perseverantia, qua
frustra à DEO quotidie poscitur, si non eam Dominus per gra-
tiam suam in illo, cujus orationem exaudit, operatur.* Nimi-
rum, *FUSILIS est COLUMNA, quæ non nisi supremi Ar-
chitecti opera potest fieri & stabiliri.*

(a) S. Thom. 1. 2. q. 114. art. 9 ad 1.



S E R M O III.

BASES COLUMNARVM

Fortitudo & Constantia.

*Crura illius Columna marmorea, quæ fundat eam
super Bases aureas. Cantic. v. 15.*

EXORDIVM.

COLUMNAS has in Domo Sapientie, seu Edificio spiritua-
li Virtutum, quæ Columnæ habent se, ut Crura Corporis
sunt, ex Virtutibus, velut membris compositi, diximus, proba-
musque esse Fortitudinem & Constantiam, seu Perseverantiam.
Columnas marmoreas & areas: Columnas Iachin, & Boaz
rectitudinis & roboris: Columnas rotundas, cava, striatas, sicut
Columnæ

Colūnas altissimas, crassissimas, firmissimas. Quare Bases quibus innituntur habēt haud dubiè proportione sibi respondentes. Sed de iis nō videtur esse una Architecturæ & spiritualis Magistrorum sentētia.

ARTICULUS I.

BASIS

Fortitudinis & Constantiæ

DEUS

TA sensisse videtur magnanimus Rex David, qui singulari DEI munere fusas in animæ suæ fundo Columnas illas, tanquam Ædificii spiritualis fulcra conservabat, & frequenter respiciebat. Illius, ut quorumlibet fortium sunt illa cantica. In DEO speravi: non timebo quid faciat mihi caro. Psalmo LV. Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? Si consistunt adversum me castra, non timebit cor meum, Psal. xxvi. Fortitudinem meam ad Te custodiā, quia susceptor meus es; Psal. LVIII. Accinit Isaias Propheta in Cantico laudis, & gratiarum actionis, pro liberatione & beneficiis Servatoris, quod est capite duodecimo. Ecce DEUS Salvator meus, fiducia- luer agam, & non timebo: quia Fortitudo mea, nempe, in quo est, tanquam in Basi, fortitudo mea, & laus mea Dominus: & factus est mihi in salutem.

IDEM frequenter inculcat S. August. Et quidem Con- cione in Ps. xxxii. Spes tua DEUS sit, inquit, Fortitudo tua DEUS sit: Firmitas tua, id est, Basis, cui insistat Columna Fortitudinis & Perseverantiæ, DEUS sit: exoratio tua ipse sit: laus tua ipse sit: finis, in quo requiescas ipse sit: adiutorium, cum laboras, ipse sit. Et in illa verba Psal. cxvii. Fortitudo mea & laus

laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem, probat, qui *Basim* istam firmiter collocarit, illi non esse metuendum, ne Columna unquam vacillet, & multo minus, ne concidat. Cujus, ait, *laudatio*, & *Fortitudo est Dominus*, tam non *cadit*, quàm non *ncadit Dominus*: & ideo *eis factus est in salutem*. Ob eandem causam, & demonstrat S. Ambrosius, nunquam inclinata fuit Columna Fortitudinis in Rege David, viro fortissimo, quia DEUM ut *Basim*, suppoſuerat, David, inquit, *nunquam nisi consulto Domino*, bellum adorsus, ideo in omnibus victor praeliis, usque ad summam senectam mansit promptus, bellicosus miscebatur agminibus, gloria cupidus, incuriosus Salutis.

ARTICVLVS II.

BASIS

Fortitudinis & Constantiæ

PROVISIO

QVO nomine designo Sapientiam, Prudentiam, Consilium, Rationis rectæ iudicium, & quæ hisce sunt affinitate sine his enim facillimè contingit, ut Fortitudinis Columna ruat. Id insinuat S. Gregorius homilia XIX. in Ezechiel. ubi scribit: *Sæpe Fortitudo si improvida fuerit, & minus circa vitia circumspecta, ipsa sui presumptione in casum ruat. Ascendat ergo ad consilium. Sed esse consilium non potest, si Intellectus desit. Et lib. secundo Moralium cap. 25. Cetera virtutes nisi ea, quæ appetunt, prudenter agant, virtutes esse nequaquam possunt. Consentit Clemens Alexandrinus, qui lib. VII. Stromat. ita differit. Nullus citra rationem fortis est cognitio præditus: quia alioqui, pueros, qui formidabilia sustinent, propter eorum quæ sunt gravia ignorantem, & feras, quæ in hastis incurunt,*

incurrunt, virtute præditas possemus dicere. Deinde subijcit, Martyres pro fide Christianâ verè fortes fuisse. Tum quia secundum rectam rationem se composuerunt. Tum quia cùm DEUS vocaret, prompto & alacri animo se tradiderunt, nullum que alium scopum, nisi ut DEO placerent, sibi proponebant. Quid quod Aristoteles in Ethicis lib. 3. cap. 1. *Fortem* vocat, qui pro dignitate, ut ipsa ratio jubet, tam patitur, quàm agit?

ARTICULVS III.

BASIS

Fortitudinis & Constantia

TIMOR DOMINI.

NON desunt è primis disciplinæ spiritualis Doctoribus, qui nominare videntur utriusque illius Columnæ BASIM, *Timorem Domini*. Certè, D. Ambrosius Sermone V. in Psal. cxviii. ubi *Crura Sponsi* exponit, & interpretatur esse præcipua doctrinæ Christianæ fulcra; Columnas autem Ecclesiæ ejus, fortissimos Principes Apostolos, *Bases* verò sanctum DEI *Timorem*, in quo fundati illi erant. Quod fuerint Columnæ habetur testimonio Pauli, qui Petrum, Joannem, Jacobum nominat Columnas, scribens ad Galatas cap. 2. Et idem titulus convenit viris Apostolicis, ac vitæ spiritualis sectatoribus, qui sunt *Marmorea*, aut *Aenea*, propter firmitatem in benè cæptis; *Erecta*, per intentionem; *Alta* per contemplationem; *Striata* per mortificationem; *Excavata*, per humilitatem. Quicumq; hoc seculum vicerit, eum fieri

Tertia Pars

Gg

Colum-

Columnam DEI ne dubites, quam confirmat, qui dicit
Ego confirmavi Columnas ejus Psal. cx. Basim autem auream
 esse Timorem disciplinæ, qui initium est Sapientie satis
 infinnat Psalmista & eleganter, ac ingeniosè demon-
 strat ibidem S. Ambrosius. Cui mirificè consentit

GREGORIUS Papa, qui lib. iv. Moral. cap. XIII. ubi
 hoc ipsum dogma expendit, profert objectionem, quæ
 argutulus aliquis formare posset: Quomodo *Timor* in
 Basis Fortitudinis, cum eâ actu suo vitiet, immò, peni-
 tus deiciat? Quis enim tã est rudis in Ethices disciplina,
 ut nesciat, Timorẽ, seu Timiditatẽ, esse oppositũ vitii
 Fortitudini? & officium fortitudinis esse reprimere timo-
 rẽ? Audiatur sanctissimus Pontifex, dũ exponit acrem il-
 lam exprobrationẽ, qua Jobum Eliphaz invadebat. *Vbi*
est Timor tuus, Fortitudo tua, Patientia tua, & Perfectio
viarum tuarum. Job iv. 6. Quattuor, inquit, gradibus virtutum
 B. Job, virtutes enumerando distinxit, dum & Timori Fortitudinẽ,
 & Fortitudini Patientiã, & Patientie Perfectiõnem junxit. In vi-
 ta etenim Dei à Timore incipitur, ut ad Fortitudinem veniat.
 Nam sicut in via seculi, Audacia Fortitudinem; ita in via Dei,
 Audacia Debilitatem parit. Et sicut in via seculi, Timor Debilitate-
 tem; ita in via Dei, Timor Fortitudinem gignit, Salomone atte-
 stante, qui ait: Proverb. xiv. In Timore Domini fiducia
 Fortitudinis. Tum quippe, Timori Domini inesse fiducia Forti-
 tudinis dicitur; quia mens nostra tanto valentius terrores rerum
 temporalium despicit, quantum se auctori earundem veracius per-
 formidinem subdit. Quæ in Timore Domini constituta non inve-
 nit extra quod metuat: quia dum recto metu Conditori omnium
 jungitur, potestate quadam supra omnia sublevatur.

SAPIENTER Gregorius & Theologicè. Si quis ta-
 men Architecturæ morali intentus quattuor illas virtu-
 tes perpenderet, & Timori Fortitudinem, Fortitudini
 Patientiam, Patientiæ Perfectiõnem junctam animad-
 verteret,

verter
 tiã cor
 Epist
 præter
 Comm
 narum
 fundar

SENT
 Specu
 igitur ex
 lb. 3. cap
 lielmus
 nitium c
 primùm
 cant qui
 quasi lan
 superpo
 lumna q
 imponit
 corpus C
 da sunt.
 perductu
 altior. Q

Philan. J
 perfa.

verteret, concipere posset Columnam Domus Sapien-
tiæ coronatam, cujus Basis sit Timor Scapus Fortitudo,
Epistylum Patientia, Corona Perfectio. Aliam verò,
præter dictas, *Basim* nominat D. Gregorius Nyssenus,
Commentario in Cantica, qui *Basim auream* Colum-
narum marmorearum, *Fidem* esse dicit, cui, tanquam
fundamento, innitantur.

ARTICVLVS IV.

BASES IV.

Fortitudinis & Constantiæ.

SENTENTIARUM ista diversitas Architectonica una
Speculatione optimè conciliabitur. Observandum
igitur ex Architectura vulgari, quod habet Vitruvius,
lib. 3. cap. 3. & clarius explicat ejus Commentator Gu-
lielmus Philander: Fundamentis Domus ad areæ pla-
nitiam coæquatis, ad Columnam deinde erigendam
primùm superstrui debere *Murulum*, quem *Pulumar* vo-
cant quidam, alii *Abacum*. Hæc est prima *Basis*, quadra
quasi lamina, Columnæ subjecta, sessione habilis. Huic
superponitur alia, quæ Græcis dicitur *σλοβάτης*, & Co-
lumnæ quoque substernitur pro fulcimento. Stylobatæ
imponitur *Spira*, torques teretior. Itaque antequam
corpus Columnæ erigatur, quattuor fulcra consideran-
da sunt. *Primum* infra terram totius, ad planitiem areæ
perductus. *Secundum*, murulus quadratus. *Tertium*, arula
teretior. *Quartum*, torques aut *Spira* multiplex.

Gg 2

QVI

Philan. Digressio de Columnationum, & habitationis ratione uni-
versa.

QUI ergo DEUM nominant Columnarum, Fortitudi-
 nis & Perseverantiæ, Basim, respiciunt infimam, cui non
 solum Columnæ, sed & reliqua fulcra innixa sunt.
 DEUM autem dum appellat, ipsius Protectionem, Gra-
 tiamque intelligunt, bonorum omnium Basim firmis-
 simam. Quare S. Augustinus Fortitudinem ait fundari
 in DEO, & quicumque sunt fortes, id est, Columnæ, ha-
 bere pro fundamento DEUM. Sic enim scribit ad Fra-
 tres in eremo. *Est & alia Fortitudo, qua boni quotidie certant*
usque ad mortem. Tales sunt fundati in DEO: & ideo nec verba
nec impiorum verbera timent. Jam verò, Divinæ Protectionis
 seu Gratia, tanquam primo fulcramento, imponitur
amor Domini: & hæc est Basis secunda, quæ subternitur
 Murulus, providæ Sapientiæ, sive ea vocetur Pruden-
 tia, sive consilium rectum, sive rationis fide illustrata
 iudicium, ut superius diximus: nam illorum omnium
amor Domini est initium, quatenus est principium Sapien-
 tiæ. Sunt ergo ista, per modum unius tertiæ Basis, in
 in Columna marmorea, Arula illa altior, antea designa-
 ta. Denique imponitur ei suprema Basis, veluti Tor-
 ques, sive Spira, & est Fides, Christiana, Catholica, Vni-
 versalis.

FIRMATIS hunc in modum Basibus adsurgit per-
 pendiculariter Scapus, id est, corpus rectum Columnæ
 utriusque, nimirum Fortitudo & Perseverantia, sive
 Constantia; utriusque partes, formam, figuramque in
 superioribus delineavimus. Monemus autem pro comple-
 mento, considerandam in qualibet esse altitudinem
 illam octodecim cubitorum, qua significari mystice
 diximus, extendi debere, tam unam quam alteram, non
 ad fidem tantum, sed etiam ad opera. Contra quam
 multis animadvertitur, qui Columnam Constantia
 erigunt, sed absque justa altitudine, quare non est, quæ
 ea deberet esse decor, quia non est Symmetria, Maxime
 for-

fortes sunt in fide, quam aliqui ore jactant, utinam non vanè & medaciter: firmiter eandem animo conceptam retinent plurimi, vellent enses potius & ignes sustinere, & in minutal concidi, quàm fidem deserere, aut ei contrarium quidpiam, per infidelitatem committere. Sed fidei consentaneos mores non induunt, non viuunt, ut fides præscribit, manus ad operandum non extendunt. Sunt superbi, avari, leves, iracundi: inebriantur, lasciviunt, blasphemant, peierant: DEUM ore, & corde confitentur, factis negant. Hi fortes, constantesq; sunt in fide, non in bonis operibus: non est in iis tam alta, quàm deberet esse Columna Fortitudinis & Constantiæ: nam non attingit in cubitos XVIII. quem numerum designare mysterium, quod exposuimus, superius est demonstratum.



SERMO IV.

COMPARATIO

*Columnarum Domus Sapientia cum celeberrimis
totius Orbis terrarum Columnis.*

PRÆFATIO.

ILLUSTRABITUR magis tota Columnarũ istarum in Domus Sapientie fabrica, & usus, si cum variis, que celebrari solent ab Architectura, & antiquitatis peritis, diversorum artificum Columnis eas comparaverimus. quod nunc facere aggredimur.

ARTICULUS I.

COLUMNÆ HERCULIS.



VÆSIVERUNT sollicitè nonnulli ex Philologis, quidnam essent *Columnæ Herculis*, quibus symboli vice, adscribi solet epigraphe, Nihil
 ULTRA. Responderunt quidam Cosinographiæ dediti, esse duos montes Hispaniæ, *Calpen* & *Abylon*.
 Est sanè in eâ regione mons dictus *Calpe*, neque circuitu magnus, neque altitudine ingens, oppositus monti *Africæ*, cui nomen *Abylon*: quomodo etiam vocatur *Insula* in occasu post *Gades*, angusta discreta freto, vulgo *Mons Gibaltar*. Confutarunt hoc unanimi consensu *Possidonius*, & pertinaciter asserunt: æreas esse *Columnas* geminas, fixas in mari, aut ejus littore, tanquam limites maris & continentis: quasi ulteriora omnia sint maris, neque ire detur. *Strabo* de *Columnis Gaditanis* scribens, postquam de *Herculis Columnis* diversas aliorum sententias retulisset, extremam, quam *Possidonius* maximè probabilem censebat, approbat, videlicet, fuisse æneas octo cubitorum *Columnas*, quibus inscripta legebatur sumptus in templi ædificationem factus, quam navigatione absolutâ sacris *Herculi* factis, dedicaverunt. Nam, vetusti, inquit *Strabo*, moris fuit hujusmodi ponere limites, id est, *Columnas* erigere pro limite maris. Aliquo ex his persuasionibus imbutus *Carolus Imperator*, symbolum sibi sumpsit, *Columnas* binas fluctibus erectas *Coronâ* singulas insignitas, & *Imperatorio diademate* simul coronatas, cum hac inscripta

ne, PL
 magna
 do, or
 aperu
 occupa
 scriptu
 epigrap
 CA
 susfict
 re velle
 binas C
 scriptio
 dam, S
 Hercul
 fum, &
 constitu
 & *Perse*
 æternæ
 Quid e
 quam si
 nec cor
 Nam Fi
 Hercule
 licet for
 Qon
 te dici
 carmini
 nescio c
 nem, &
 vos rela
 Constant
 latura V
 (A)T

ne, PLUS ULTRA. (a) Nimirum, Columbus Ligur, vir magnanimus, regnante avo materno Caroli, Ferdinando, orbem novum felici navigatione ultra Columnas aperuerat, deinde, Caroli auspiciis, plura detexerat, & occupaverat Hispanus Itaque falsò olim Columnis inscriptum, NIHIL ULTRA. quam tamen verissimam esse epigraphen contendunt Sapientes.

CAROLUM eundem adhuc juvenem cum ingeniosus fictor Hercule vel Sampsonē fortiorem representare vellet Sampsonis formā Herculem pingi curavit, qui binas Columnas decussatas in collo deferebat, cum inscriptione: *Major erit Hercule.* Quocirca Theologi quidam, Symbolicæ sacræ addicti, censebant Columnas Herculis sacratius quid occulere, quàm vulgò sit persuasum, & ad Domum Sapientiæ, seu Ædificii spiritualis constitutionem posse referri, ut sint *Columnæ Fortitudinis & Perseverantiæ*, quæ sunt æneæ, & ob incorruptionem, æternæ, quibus convenit epigraphæ: NIHIL ULTRA. Quid enim est ultra constantem Perseverantiam? ultra quam si quid est aliud, non est perseverans Constantia, nec constans Perseverantia. Hæc semper est coronata. Nam Finis, & Perseverantia coronat opus. Ultra has ne Hercules quidem processit: nec procedet ullus Hercule licet fortior & fortunatior.

QOD ne videatur fortasse alicui minus accommodate dici in re sacrâ; sciat, antiquissimos Theologos, qui carminibus sacra velare erant soliti, sumpta occasione à nescio quo Alcmenæ filio, qui ob invictam Fortitudinem, & in heroicis facinoribus Constantiam, inter Divos relatus putabatur, Virum quemlibet *Fortitudine & Constantia* inclytum appellasse Herculem. Qua nomenclatura Varro XLIV. Hercules exprimit, Et Macrobius in

Gg 4

Satur-

(a) Typorius Strada Sadeler in Symb. Imper.

Saturnalibus suis, lib. 1. cap. 20. nihil aliud esse Herculem arbitratur, quàm Solem: videlicet, nihil hoc univertum fortius, nihil magis invictum & constans habet, quàm luminis illum fontem: duodecim autem labores, quos Hercule adscribuntur, ut fortitudinis insuperabilis argumenta, quid aliud sunt, quàm XII. signa Zodiaci, quae Sol singulis annis conficit? Sic ille, quæ explicat fulsime. Itaque, Columnæ ab Hercule, id est, Homine insigni robore animi, & excellentissima quadam virtute prædito stabilitæ, sunt *Fortitudo & Perseverantia*, quibus inscribi potest *NIHIL ULTRA*. Neque ullus tam erubescens, vel insanus, qui illas sibi ut Insignia, vel Symbola adsumat, insculpatque *PLUS ULTRA*. Hæc Theologi est differentia, à reprehensione justa immunis: à Calumnia fortasse non æquè: sed lappas extimam vestem carpentes Sapientes levi motu excutiunt facile. Ab iis Columna incipit longissima illa navigatio in orbem alterum, & desinit iter hujus orbis: quare limites sunt itinerum exordia, termini æquè, à quibus, & ad quos. Quæ consideratio ducit nos ad alterius Columnæ contemplationem.

ARTICULUS II.

COLUMNA

Milliarium aureum.

IN mentem vobis veniat Columna apud Romanos celebratissima, quæ in Urbis foro ad hoc posita erat, ut ab eo iter mensuram acciperet, & miliaria numerarentur: atque idcirco nominabatur ipsa Columna *Milliarium*

COLVMNA MILLIARIVM. 483

liarium aureum, quod aurata esset: auctor Plinius. (a) In ea nobiles omnes Italiae vias incisas fuisse testatur Plutarchus. Sub æde Saturni fuisse positam tradit Tacitus, ubi agit de Othone; id ipsum etiam habet Suetonius in Othone. Ab Augusto autem fuisse erectum *Milliarium aureum* scribit Dio in historia lib. 54. Quare dum passim apud historicos legimus, secundo, tertio, quarto ab Urbe milliario, non de Urbis Romanæ portis intelligendum id est, sed de Columna in foro posita, ut in Urbis umbilicæ, nunc in arcâ Capitolina visitur. A Columna Fortitudinis, & Cōstantiæ iter Æternitatis nobis incipiendum est, in eadem iter Mortalitatis finiendum. In ea sunt incisæ omnes ad cælum tendendi viæ regiæ, quas frustra alibi inquirimus. Qui *Fortis & Constans* perseveraverit usque ad finem, eò perveniet.

(a) *Plin. lib. 3. cap. 5. Tac. lib. 17. Sueton. in Otho. Plutar. in Galba.*

ARTICVLVS III.

COLUMNÆ STYLITARUM.

ORBEM universum nominis sui celebritate impleverunt nonnulli, qui, quod in Columna habitationem, sedemque sibi constituissent Stylitæ sunt cognominati. Inter quos notissimus fuit *Simeon* monachus Senior, qui in Columnâ stans multos annos vixit, fuitque stupori omnibus ipsum adeuntibus, & spectantibus tandem, centenario major iter æternitatis est ingressus. Alius fuit junior *Simeon* Stylita, ut auctor est Euagrius lib. 6. cap. 26. qui eo utebatur familiariter. Et ejus extant litteræ scriptæ ad Imperatorem Iustinum, quæ recitatae

Gg 5 fue-

fuerunt in Actione V. Nicenæ secundæ Synodi, ubi dicitur Stylita admirandi montis; sicque vocatur etiam a D. Ioanne Damasceno in Oratione de Imaginibus; quoniam vivebat seorsim in Columna monti altissimo superposita, ut tradit Euagrius lib. 6. cap. 22. Tam autem Senior, quam junior fuit in Syria. Præter quos tertius Simeon vixit in Cilicia quadraginta ferè milliaribus ab Ægis civitate, cuius est mentio in Prato spiritali Sophronii cap. 57. Celebratur quoque Daniel Stylita, & quidam alii Eremicolæ: de quibus ago in Historiis Stavrophilorum. Ante hos autem, super unam Columnam cellulam ex tabulis construere primus omnium docuit C. Mœnius Romanus, qui cum ad ædificandam basilicam domum suam venderet, excepit sibi jus unius Columnæ, super quam rectum proieceret compactum ex tabulis, unde ipse & ejus posterius munus gladiatorum spectare possent, quod tunc edebatur in foro. Ab eo deinde Mœnio dicta est structura Mœniana, quam postea multi usurparunt.

Quorsum hæc tam abrupto aut longè petito principio? dicam quidpiam, quod admirabuntur initio plerique, & habebunt, ut incredibile, audita tamen ejus commoda explicatione, probabunt, ut reor, universi. Magnum verbum proloquor: Nemo salutem æternam consequutus est unquã, nemo consequetur in posterum, nisi **STYLITA**, id est, nisi is, qui in **COLUMNA** domicilium suum fixamque sedem habuit, aut habebit. Inopinata loqueris, fortasse submurmurant nonnulli, & planissimè paradoxa. Ergo nemo ex nobis inter Cælites erit aliquando, nisi prius in Syriam, aut Ciliciam profectus inter Stylitæ alicujus affeclas fuerit adscriptus? In quo hoc perscriptum est Evangelio? quis tam duram ad salutem consequendam conditionem posuit? Dico id

ite-

iterum, iterumq; repeto, Nemo hominū salvabitur nisi
 STYLITA. I nunc, & Simeonem Stylitam obstupesce, ac
 inimitabilem judica. Non muto sententiam: Nemo sal-
 vabitur, nisi sit Stylita. Explico & probō. *Columna* ædifi-
 cii spiritualis, è quō migrandum ad Superos, est *Fortitu-
 do, Constantia, Perseverantia*: in hac nisi zeam tuam locave-
 ris, nisi cellulam tuam constitueris, nisi ex hac moriens
 emigraveris, nunquam, ita me DEUS amet, & omnes
 Superi, beatitudinem consequeris. Nullus hactenus nisi
 ex Columnâ nominata cœlum petit. Itaque præter
 Stylitas nemò saluus fuit. *Qui perseveraverit usque in finem
 hic saluus erit. Matthæi x.*

ARTICULUS V.

COLVMNÆ STEMMATUM.

BINAS illas Columnas Domus Sapientiæ, Fortitudi-
 nem & Perseverantiam diligentius inspicienti oc-
 currunt animo, Columnæ, quæ solenterigi, ut in iis fa-
 miliarum, vel Reipublicæ Stemmata appendantur, vel
 collocentur. Qui Venetias vel è longinquo salutarunt,
 ignorare non possunt, in capite fori, quod littus maris
 spectat erectas è solido marmore Phrygio duas Colum-
 nas altissimas, è mari venientibus nautis à longè conspi-
 cuas, in quarum una D. Marci Venetorum, nempe, Leo-
 nis alati Insignia inaurata visuntur: in altera D. Theo-
 dori statua similiter inaurata posita est. In ipso autem
 intercolumnio de noxiis condemnatis sumuntur sup-
 plicia. Ferunt allatas simul tres ejusdem magnitudinis
 navibus onerariis è Græcia, ante annos amplius, quàm
 quadringentos, earumque unam vi ponderis, dum è
 navi.

navibus extraherentur in terram, ruptis architectorum instrumentis, in aquas decidisse, & in fundo adhuc conspicui: alias duas ad caput fori Marciani modico intervallo erectus, ingenio Longobardi cujusdam Architecti, validis rudentibus novis è sublimi demissis, & aqua made factis: qui dum sese cōtraherent, & pondus vi suâ sublevarent, alios siccos breviori semper spacio subiectos, & aquis item irrigatos fuisse, eoque modo paucis diebus opus continuando, moles illas extractas firmatasque. Addunt, non aliud Architectum industriæ præmium postulasse à Repub. quàm ut aleatoribus in eo intercolumnio ludendi impunè libertas semper esset. An verum sit ignoro: hoc constat, scholam nebulonum aleatoriam sub iis Columnis assiduam & frequentem videri. Hæc *παρεργῶς* hoc ego dicere volebam.

QUEM AD MODUM in iis, similibusque Columnis insignia visuntur gentis, aut Reipublicæ, ita totius Religionis Christianæ, in Columnis Fortitudinis & Perseverantiæ esse conspicua. Quæ sunt Insignia? quæ stemmata? quæ tesserae gentilitiæ Reipublicæ Christianæ: familiarum & urbium sumi solent à præclaris majoribus ac fundatorum suorum facinoribus, in quibus & fortitudo maximè enituit; ita Ecclesia ab Heroum suorum generosis conflictibus, & Fortitudinis masculæ elegantiæ quæ ostentaret: nimirum, *Crucem, Gladium, Ignem, Castellam, Furcam, Laqueum.* & similia sexcenta, quæ artificiosissimè in Columna utraque, Fortitudinis & Perseverantiæ expressa sunt, & vim ad excitandum æmulandi affectum inspectantibus habent. Quæ dum perpendunt offert se mihi alius Columnarum usus, qui duobus illis nostris est valdè conveniens.

(***)

ARTI-

ARTICVLVS V.

COLVMNÆ HISTORICÆ.

*Traiani Coclis.**Duilli Rostrata.*

Voco historicas, in quibus sculpi & effingi solent artificis periti manu, res domi militiaeque cum insigni roboris & constantiae laude gestae à clarissimis belli Ducibus, & Imperatoribus; quales multae etiamnum supersunt in diversis orbis terrarum partibus. Unam alteramque adferamus in medium, Fuit olim Romae Forum Traianum, inter Capitolium, Quirinalem montem, & Augusti forum: erat autem illud Traianum cinctum porticu magnifica, ingentibus Columnis fulta, Apollodoro Architecto, adjunctus erat Arcustriumphalis; quorum hodie ne vestigium quidem extat, apparet tamen, omnium instar, ingens *Columna Coclis*, quae Traiani dicitur, & Imperatoris maiestatem, ac populi Romani magnificentiam ostentat. Alta est pedes cxxviii. cum basi vero cxl. lapidibus structa xxiv. tantae vastitatis, ut opus videatur, non ab hominibus, quales sunt modo, sed à Gigantibus profectum. Singuli lapides gradus octo continent: per hos ascenditur. Lumen praebent fenestellae xliv. Caelatae autem sunt in Columna per gyrum, res gestae Caesaris Traiani bello Dacico, aliisque militaribus expeditionibus. Nihil unquam terrarum admirabilius, nihil magnificentius videri censent Antiquarii, qui merces suas, supra omnem fidem, ut vendat, solent

solent extollere. Similem usum observo in *Columna*, quæ hodieque superest Romæ, in palatio conservatorum, & *Rostrata* dicitur, habetque prisca seculi inscriptionem C. DUILLI, cui de Carthaginensibus bello Punico Victori posita fuit.

AD geminum usum in Domo Sapientiæ, & Ædificio spirituali Virtutum statuitur *Columna Fortitudinis* ab uno latere, & ad alterum *Perseverantiæ*. Præterquam enim, quod superiorem Domus partem sustollant, ac sustentent, sunt Monumenta, in quibus artificiosius, quam in Traianâ, Millium Christi fortissimorum, & invictissimorum Imperatorum certamina cælata exhibentur. In his Columnis legetur sculptura, sculptura-ve, aut incisione expressum, quomodo non quidem rabidum Leonem, cum Hercule, aprum-ve immanem superaveris, aut mactaveris Hydram septicipitem, sed violentiam in teipso inclusam, feramque deviceris iracundiam. Quomodo non aves sagittis dejeceris, sed cupiditates avidissimas, ut rapacissimas volucres, represseris. Quomodo non Amazonem bellatricem fugaveris, sed pudoris famæque debellatricem libidinem abegeris. Quomodo non Regium Augiæ stabulum perpurgaveris, sed vitia de corde proprio eo perniciosiora, quo magis domestica & propria egeris. Quomodo iram continueris, omnes animi motus rationi subegeris, cuncta carnis desideria spiritus virtute frenaveris: proprias voluntates abjeceris contemptis visibilibus, ea quæ non videntur, generoso mentis impetu, appetieris, amaveris, insequutus fueris. Hæc similiaque Christianis Heroibus digna facinora in Columnis Fortitudinis & Perseverantiæ, non in aliis leguntur.

(**)

ARTI-

ARTICULUS VI.

COLVMNÆ SEPVL CRALES.

IN Columnis, vel sepultos aliquos, vel in iis reconditos demortuorum cineres reperio. Certè, Traianus detētus bello Parthico, Columnā sibi erectā non vidit. Nam rediens victor fluxu sanguinis extinctus Seleuciæ Syriæ, viuis Romam non est ingressus, sed cadavere in urbem delato, ossa, cineresque in pila aurea sunt recondita & in Columna collocata. Quærunt sibi multi, & constituunt anxie quietis post mortem locum, vivi de sepulchro sunt per quam solliciti, ignari, quænam sit, & ubi optima quiescendi regio. Ubi-nam quæris: brevissime dicam, in Columna. Nisi quis in Columna Perseverantiæ exuvias deposuerit, tantundem est, sive sub furcā, sive in aureo mausolæo putrescat. Nā, ut superius est demonstratum: nemo ad æternam felicitatem evehitur, nisi qui in Columna vixerit; ita nunc addo, nemini idem continget, nisi in eadem spiritum reddiderit, & quicquid reliquum fuerit, deposuerit. *Qui perseveraverit usque in finem hic saluus erit.*

APPENDIX

Designatio variarum Columnarum ad Domum Sapientiæ spectantium.

QUINQUE constituimus ordines Columnarum, sive Columnationes, quibus exornatur, & fulcitur Domus Sapientiæ, seu Ædificium spirituale ex Virtutibus


com-

compositum. Harum aliquas, per otium, fusius explicavimus: aliarum nomina tantum edemus: tum quod de iis actum sit loco suo satis accommodatè, ut putamus: tum quod, quæ virtutes, Columnæ hic vocantur symbolicè, alibi, per alias Domus partes figuratè significantur, ubi commodius naturam ac proprietates singulorum explicamus. In PRIMA Columnatione, tres sunt Columnæ: *Fides*, quæ est Columna Nubis: *Spes*, quæ Firmi: *Caritas*, quæ Ignis. Legendi Interpretes in Pentateuchum. Signatè Benedictus Pererius Exodi XIII. à disputatione I. usque ad IX. & Cornelius S. Thomas proæm. in Epistola S. Pauli ad Ephes. In SECUNDA constituuntur duæ, *Fortitudo* & *Perseverantia*: utraque tam ænea, quam marmorea. Sufficerent binæ istæ Columnæ ut totum Ædificium spirituale sustinerent: ideoque comparari possunt cum duabus illis, quibus Dagonis palatium sive Templum sustentabatur, quod Samson, quassatis columnis, evertere Historia habetur Iudic. XVI. Legendus ibi Nicolaus Serarius quæst. 24. Et, de *Fortitudine* ac *Prudentia*. S. Thomas 2. 2. ibidemque Commentatores: Lessius lib. 3. de *Iustitia* & *Jure*. Busæus in *Viridario*. Delrius *Cantico*. v. Catechismus historicus, è quo cap. 7. §. 40. exempla desumi possunt, & sermonibus inseri. In TERTIA spectantur VII. Columnæ, septem Dona Spiritus-sancti 1. *Sapientia*. 2. *Intellectus*. 3. *Consilium*. 4. *Scientia*. 5. *Fortitudo*. 6. *Pietas*. 7. *Timor Domini*. Legendi, S. Thomas 1. 2. q. 68. ibidemque Valentia, Salas, Vasquez, & 2. 2. var. quæst. Catechismus historicus Dauroltii, in quo per singulis exempla. In QUARTA statuuntur Columnæ IV. Virtutes quattuor Cardinales. *Cantic. tertio Ferculum sibi fecit Rex Salomon de lignis Libani, Columnas ejus fecit argenteas*. Honorius Columnas argenteas interpretatur quattuor illas virtutes, quæ animæ roborem ut

ut ligna fulciunt. Ad lit Delrius tres virtutes Theologicas, ut sint Columnæ VII. Idem Honorius accommodans Ferculum DEIPARÆ, scribit Columnas ejus esse quattuor Evangelia, quæ de DEIPARA testimonium perhibent: esse argenteas, veritate nitidas, prædicatione sonoras. In QUINTA Columnatione sunt Virtutes VII. quas S. Bernardus Sermone 3. de Adventu, cujus titulus: De triplici Domini Adventu, & septem Columnis, numerat, quas in nobis videlicet erigere debemus. Recurre ad librum secundum, in quo secundum varios sensus Domus Sapientiæ, variè Columnas accommodavimus, Sermone III. IV. V. & sequentibus.

VARIA de Columnis suppeditat Theatrum Vita humane, hisce Titulis. I. Erecta in monumentum rei memorandæ aut, Ad memoriam alicujus. II. Columna in templis collocata. ubi de Columnis Panthei & aliis Romanis: Rostrata, Traiana, Mœnia, Julia, Antonii Pii, Milliana. De quibus Bartholomæus Marlianus in Topographia urbis Romane, & Franciscus cothus in Itinerario Italia.

(* *)



Tertia Pars.

Hh

ARCHI-